INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ

AUCTORITATE

D. D. ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

AD USUM

SCHOLARUM SUÆ DIOECESIS EDITÆ

TOMUS PRIMUS

L O G I C A

BASSANI 1846.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

MANDATUM

Illustriss. ac Reverendiss.

D. D. ARCHIEPISCOPI

ET

COMITIS LUGDUNENSIS

GALLIARUM PRIMATIS

De Philosophicis Institutionibus ad usum Scholarum suæ Diœceseos editis

Antonius de Malvin de Montazet, Divina Providentia et Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Archiepiscopus et Comes Lugdunensis, Galliarum Primas, etc. Clero tum Seculari tum Regulari nostræ Diœceseos Salutem in Domino.

Inter varias Pastoralis Officii sollicitudines, Fratres Carissimi, non infimum locum sibi vindicare arbitramur, quidquid ad Juventutis, et maxime Clericorum, institutionem pertinet. Hinc enim pendent subsequentium generationum sanctitas vel corruptela, Regnorum stabilitas vel inclinatio, Christianæ Reipublicæ decus vel opprobrium. Cum homines natura sint earum rerum tenacissimi,

quas rudibus annis perceperunt, in illud intenti esse debemus, ut adolescentes nihil nisi recta et bona ediscant, quorum memoria eos usque ad senectutem prosequatur, et totum vitæ curriculum regat et moderetur. Ex diversis autem studiorum generibus, quibus gradatim operam dare solent juvenes, nullum ad vitam probe instituendam majoris est momenti, quam Philosophia; non qualiscumque, at sana et sincera.

Quapropter dilectissimis nostræ Diœcesis adolescentibus nos maxime profuturos censuimus, si Philosophiam sub oculis nostris elaborandam curaremus, quæ rationi et Religioni ex omni parte esset consona. Quid enim luctuosis his temporibus necessarium magis, quam providere *ne quis* incautos juvenes *decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam*, *Coloss*. 2. 8., quæ omnes induit formas, omnes voluptatis et ingenii illecebras adhibet, ut furtim in animos sese insinuet? Undique pullulavit infausta Sophistarum seges, qui sociatis viribus in illud incubuerunt, ut omnia Fidei morumque principia labefactarent. Quam pestem cupiditatibus blandientem, si juvenes semel combiberint, nulla

erit vitiorum fœditas, in quam sese non conjiciant, unde vix unquam revocari possint.

Ad depellendam vero tanti mali contagionem in dies latius serpentem, maxime accommodatæ nobis videntur, quas proponimus Institutiones Philosophicæ. Nulla enim est hujus operis pars, quæ ad præmuniendos contra falsi nominis Philosophiam animos suo modo non conferat.

1. Quidem in Logica eo maxime spectatum fuit, ut sapientissimæ traderentur Regulæ, quæ mentis sagacitatem acuerent, judicium limarent, ratiocinandi vim perficerent. Adolescentes igitur accuratis ratiocinii legibus a teneris assueti, inde exquisitum quemdam veri gustum & saporem tracturi sunt, cujus veluti instinctu respuent quidquid veritatis nota signatum non fuerit. Non ita facile ipsis fucum facient insidiosæ Sophistarum ratiunculæ, quibus imperitos solent decipere. Insuper juniores Clerici tractandis armis philosophicis exercitati, defendendæ postea Religioni, ubi sese dederit occasio, erunt paratiores.

Ut Pyrrhonismum Religioni simul et societati infestissimum intrudant, plurimi nihil

non moliuntur. Ad eum scopulum ne allideretur Juventus, omnes cognitionum nostrarum fontes diligenter explorati sumus, ex iisque manare certissimas quasdam notiones demonstratur. Sua evidentiæ et sensui intimo, sua constanti et unanimi externorum sensuum relationi, sua denique hominum testimonio, quibusdam conditionibus vestito, asseritur auctoritas ineluctabilis.

2. In Metaphysica plurimæ gravis momenti quæstiones occurrunt, in quibus disceptandis eas semper rejectas voluimus opiniones, quæ cum exitiosis spuriæ Philosophiæ dogmatibus aliquid habent cognationis. Hic candidatis arma subministrantur, quibus nefarios supremi Numinis hostes valeant debellare, et impia eorum systemata funditus subvertere. Hic suæ Deo vindicantur perfectiones, eæ præsertim quas obscurare non metuit humana superbia, nempe ipsius unitas simplicissima, æternitas sine temporis lapsu, immensitas sine extensione, libertas sine ulla mutabilitate, præscientia falli nescia, summum in creaturas, etiam liberas, dominium, Providentia quæ orbem universum regit et temperat.

Præterea mentis humanæ excellentiam noverint adolescentes necesse est, ut quidquid eam fœdaret vel deprimeret, attentius declinent. Eo consilio diligenter a nobis cautum fuit, ne quid in ista Elementa irreperet, quo germana mentis notio vel tantillum deturparetur. Iis characteribus & coloribus anima humana depingitur, qui vivam et spirantem hanc Dei imaginem vere exprimant, cujus dignitatem non pauci extenuare studuerunt. Exhibetur tanquam substantia nobilis, quæ nihil corporeæ fæcis habet; cujus vita in cognitione et amore constituta est; quæ non ita pendet a sensuum organis, ut ab iis suas omnes ideas mutuetur; quæ e sui creatoris manibus prodiens, jam plurimis notionibus sibi congenitis exornatur; quæ tandem dissoluto corpori superstes, aut virtutis præmium, aut vitii pœnam a justo Judice receptura est.

3. In morali Philosophiæ parte id nobis curæ fuit, ut ea tantum traderentur præcepta, quæ sanctissimis Evangelii regulis consentirent, & formandis tum civibus, tum Christianis maxime idonea essent. Ibi exponitur quid Deo, quid sibi, quid proximo quis-

que debeat; quantum obsequii et reverentiæ adhibendum sit augustissimæ Principum Majestati, eorumque legibus; quænam sint cujusque civis erga Rempublicam officia. His principiis imbuti juvenes, non potuerunt non horrescere nova quædam adulterinæ Philosophiæ dogmata, quæ suam virtuti pulchritudinem, suam vitio turpitudinem, suam Principibus auctoritatem, suum societati vinculum, suam privatis securitatem eripiunt.

Quandoquidem junioribus præsertim Clericis consecratæ sunt quas commendamus Institutiones; mirum videri non debet, quod in statuenda morum disciplina, ratio simul et auctoritas nonnumquam adhibeantur. Clerici enim erudiendis populis, moribus emendandis, vitiisque corrigendis destinati sunt: a teneris igitur ediscant oportet veram Moralis Disciplinæ scientiam, non e ratione sola quæ peccato fuit obnubilata, verum e purissimis Scripturæ sacræ et Traditionis fontibus hauriendam esse.

Cum inter Philosophiæ candidatos plurimi sint, qui Theologiæ limen nunquam adituri sunt, eos e Scholis dimissos noluimus, quin brevem de Christiana Religione tractatum

exceperint. Hanc enim augustissimum supremi Numinis opus esse persuasum habeant necesse est, ut inter tanta illius deserendæ pericula versaturi, ipsius veritati constanter adhæreant. Ea mente selecta sunt præcipua divinæ illius Religionis argumenta.

4. Quamvis eo potissimum pertinere debeant Clericorum studia, ut quæ sui ministerii sunt, addiscant, hos tamen noluimus in rebus physicis hospites esse omnino et peregrinos. Id quippe utilitatis habet naturæ contemplatio, ut mentem bene comparatam ad Deum erigat, vividosque grati animi sensus excitet. Qui enim aspectabilem hanc mundi compagem oculis intuetur vere philosophicis, non potest in ea summam Dei potentiam, bonitatem, sapientiam non agnoscere, non mirari; siquidem *invisibilia ipsius ..., per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Rom.* 1. 20.

Iis accedit quod humana infirmitas postulet, ut Clerici, expletis sui muneris officiis, honesta quadam oblectatione animos relaxent, quo suas ad functiones redeant alacrius. Ubinam autem vel amœnius, vel liberalius ob-

lectamentum reperient, quam in naturæ studio? Quinimo ex illius cognitione non raro contingit, ut Pastor suo gregi utiliorem sese præbeat. Denique ubi de notissimis quibusdam phænomenis sermo incidit, si mutus et elinguis hæreat Clericus, vel quidpiam efferat quod suam in eo genere inscitiam demonstret, aliquando periculum est ne in contemptionem veniat.

His rationibus ducti, juniores Clericos rerum physicarum cognitione penitus fraudari noluimus. Hanc tamen quosdam intra limites statuimus coercendam. Præcipua tantum latissimæ hujus disciplinæ capita traduntur, quæ ignorare sit pudor. Testatur experientia, ex adolescentibus paucissimos esse, qui mathematicis et geometricis studiis felicem operam dare aut possint, aut velint; quapropter ita concinnandam esse Physicam censuimus, ut pauculas tantum et faciles earum Artium notiones requireret, et communi Tyronum intelligentiæ accommodaretur. Plerique enim ab illa prorsus alienantur, dum eam vident profunda computationum caligine, et apparatu geometrico circumseptam. Professorum autem arbitrio relinquimus, ut largio-

rem et uberiorem Mathematicæ et Geometriæ copiam iis candidatis subministrent, quos arripiendis illis disciplinis magis idoneos judicaverint.

5. Quod spectat ad Philosophiæ tractandæ formam, ea, quantum fieri potuit, adhibita est, quæ nihil horridi, nihil obscuri, nihil ingrati auribus inferret. Suos enim alumnos amœnioribus disciplinis excultos, sermonis leporibus delinitos, eloquentiæ flosculis assuetos territaret Philosophia, si habitum vepribus et dumetis hirsutum indueret, si inculto quodam disputandi genere auribus obstreperet. Præterea rejectæ sunt quæstiones plurimæ, non minus steriles quam abstrusæ, quæ juveniles animos non illustrant, sed obscurant; non exornant, sed onerant: metuendum enim esset ne candidati scientiam aspernarentur, de rebus nugatoriis laboriose et inaniter disserentem.

Quid igitur consilii in vulgandis illis Institutionibus nobis fuerit, et quantum utilitatis inde in Juventutem redundaturum sit, cognoscitis, Fratres carissimi; quam ob causam vehementer hortamur vos, præsertim quot quot Seminariis, Collegiis, Monasteriis

et Congregationibus præpositi estis, ut nova hæc Philosophiæ Elementa in eum usum curetis adhibenda, quem in votis habuimus.

Datum Lugduni, sub signo sigilloque nostris et Secretarii nostri chirographo, die decima sexta mensis Augusti, anno millesimo septingentesimo octogesimo secundo.

✠ ANT. Archiep. Lugd.

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Archiepiscopi et Comitis Lugdunensis.

BAZILE.

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ

PROLEGOMENA.

In Scholis jam dudum mos invaluit, ut multa in antecessum exponantur, quæ *Prolegomena* vocitari solent, eo quod prius tradi consueverint, quam ad singulas Philosophiæ partes descendatur. Ne autem in ipso limine diutius detineantur Candidati, resecatis otiosis quæstionibus plurimis, ea tantum præmittemus, quæ nobis visa sunt utiliora. Duobus Capitibus absolventur nostra hæc Prolegomena. Primum erit de Argumentatione; secundum de notione Philosophiæ generatim spectatæ.

CAPUT PRIMUM.

De Argumentatione.

Cum in ipso Philosophiæ ingressu usurpari soleat recepta in Scholis argumentatio, de ea pauca delibare necessarium duximus. Ingeniosum autem illius artificium probe intelligi non potest, quin *ideæ* sive *perceptionis*, *judicii* et *ratiocinationis* definitiones expositæ fuerint.

Quæres igitur 1. quid sit idea, sive perceptio.

Resp. Mera est objecti repræsentatio, et proinde mentis cogitatio, tum affirmationis, tum negationis expers. Sic ubi aliquis ita de Deo cogitat, ut eum sibi exhibeat, tanquam Ens supremum, a quo pendeat et regatur orbis universus, tanquam Ens infinite perfectum, nihilque de eo vel affirmat, vel negat; tunc Deum percipere, sive ipsius idea habere dicitur,

Quæres 2. quid sit judicium.

Resp. Actus est mentis, quo una idea cum altera jungitur per affirmationem, vel ab ea disjungitur per negationem. Idcirco duplex distinguitur judicium, aliud affirmans, quo una idea cum altera consociatur, v. gr., *Deus est æternus;* aliud negans, quo una idea ab alia dissociatur, v. gr. *Deus non est crudelis,* ubi idea *crudelitatis* removetur ab idea *Dei*.

Judicium vocibus expressum dicitur *propositio*, quia judicium interius veluti ob oculos ponit.

Quæres 3. quot sint in propositione distinguenda.

Resp. Tria, nempe *subjectum*, *attributum* seu *prædicatum*, et *copula*. 1. Subjectum est illud de quo affirmatur aliquid vel negatur. Sic in ista propositione, *anima est immortalis*, *anima* est subjectum; 2. attributum est illud, quod de alio vel affirmatur, vel negatur, sic in allata propositione *immortalis* est attributum; 3. *Copula* dicitur verbum, *sum*, *es*, *est*. Hoc nomen obtinuit, quia illius officium est attributum cum subjecto connectere; nec illud unquam disjungit, nisi præmittatur particula negans, *non*.

Quæres 4. quid sit ratiocinatio.

Resp. Mentis est operatio, qua unum judicium ex alio vel pluribus infertur, v. gr., si ex eo quod omnis spiritus sit immortalis, et mens humana sit spiritus, colligam mentem humanam esse immortalem, actus ille quo mentis humanæ immortalitas ex aliis judiciis præeuntibus concluditur, appellatur *ratiocinatio*.

Quæres 5. quænam in omni ratiocinatione distingui debeant.

Resp. Tria, nimirum *antecedens*, *consequens*, et *consequentia*. 1. *Antecedens* ea judicia complectitur, ex quibus aliud deducitur. Sic in ista ratiocinatione:

Omnis virtus est laudabilis;
Atqui diligentia est virtus;
Ergo diligentia est laudabilis.

Duo priora judicia dicuntur, *antecedens*, quia ex iis tertium deducitur, nempe *diligentia est laudabilis*. 2. *Consequens* est judicium quod ex aliis præeuntibus sequitur. Sic, in exemplo mox adducto, *consequens* est istud judicium, *diligentia est lauda-*

bilis. 3. *Consequentia* est connexio, seu vinculum consequentis cum antecedente; hisque particulis exprimi solet, *ergo, igitur*, aliisve similibus.

Quæres 6. quidnam sit discriminis inter consequens et consequentiam.

Resp. Inter utrumque multiplex est discrimen. 1. Consequens, ut modo diximus, est judicium quod ex antecedente deducitur; consequentia vero est connexio judicii deducti cum antecedente, ex quo infertur.

2. Interdum accidit ut vera sit consequentia, licet falsum sit consequens. Exempli gratia, in ista ratiocinatione:

Quod habet partes, est divisibile;
Atqui mens humana partes habet;
Ergo mens humana est divisibilis.

Optima est consequentia: si enim mens humana partes habeat, sequitur, et necessario quidem eam esse divisibilem; attamen falsum est consequens, nimirum mentem humanam esse dividuam.

Vicissim verum esse potest consequens, et falsa consequentia. Si v. g. dixerim:

Antichristus erit homo,
Ergo erit impius.

Consequens, nempe, *Antichristus erit impius*, verum est; at falsa est consequentia: ex eo quod enim Antichristus futurus sit homo, non sequitur, ipsum fore impium.

3. Quandoque distinguitur consequens, nunquam autem consequentia: vel enim connexio est inter antecedens et consequens, vel nulla existit: si prius, conceditur consequentia, si posterius, nulla est consequentia, ideoque negatur: contra vero consequens, utpote propositio, ambiguum esse duplicemque sensum admittere potest; ergo et distingui.

Quæres 7. quid sit argumentatio, et quænam præcipuæ illius species.

Resp. Argumentatio est oratio ratiocinationis interpres. In ea reperiuntur *antecedens, consequens*, et *consequentia*, quorum notiones jam exposui. Duæ sunt illius præcipuæ species, nempe *syllogismus et enthymema*.

Quæres 8. quid syllogismi nomine intelligatur.

Resp. 1. Syllogismus est argumentatio tribus constans propositionibus, ita colligatis et devinctis, ut tertia necessario ex duabus præcedentibus sequatur. En exemplum :

Omnis virtus est laudabilis ;
Atqui diligentia est virtus ;
Ergo diligentia est laudabilis .

2. Tres sunt in syllogismo termini, quorum ista sunt nomina, *majus extremum*, *minus extremum*, et *medius terminus*. *Majus extremum* est attributum conclusionis, nempe *laudabilis* . *Minus extremum* est subjectum conclusionis, scilicet *diligentia*. Attributum autem conclusionis ideo vocatur *majus extremum*, quia plerumque latius patet, sive ad plura extenditur, quam conclusionis subjectum, quod ideo dicitur *minus extremum* .

Tandem *medius terminus* ille est, qui adhibetur ad detegendam convenientiam aut discrepantiam duorum extremorum, quæ in conclusione junguntur aut separantur. In præfato syllogismo *medius terminus* est *virtus* .

3. Syllogismus tres habet propositiones, quæ nuncupari solent *major propositio*, *minor propositio*, et *conclusio*.

Major propositio ea est, quæ continet *majus extremum* cum medio termino ; ita se habet ista in prædicto syllogismo, *omnis virtus est laudabilis* .

Minor propositio dicitur ea, quæ *minus extremum* cum medio termino complectitur, qualis est ista : *atqui diligentia est virtus*. *Major* et *minor* vocantur *præmissæ*, quia conclusioni præmittuntur.

Tandem conclusio est illa syllogismi propositio, quæ continet majus et minus extremum, ut ista : *ergo diligentia est laudabilis* .

Quæres 9. quid sit enthymema.

Resp. Argumentatio est duabus tantum constans propositionibus, quarum una ex altera deducitur. Prior vocatur *antecedens*, posterior vero *consequens*, v. g.

Omne bonum est amandum ;
Ergo Deus est amandus .

A syllogismo non differt enthymema, nisi in eo

quod una præmissarum, sive major, sive minor, reticeatur. Exempli gratia in isto:

Justitia est virtus;
Ergo justitia est laudabilis.

Subauditur major ista propositio, *omnis virtus est laudabilis*.

In altero autem isto enthymemate:

Omne vitium fugiendum est;
Ergo desidia fugienda est.

Tacite involvitur minor ista propositio, *atqui desidia est vitium*. Unde natum est vulgare illud effatum: *Enthymema in ore, est in mente syllogismus*.

Quæres 10. quænam sint syllogismorum regulæ.

Resp. Plurimæ sunt, quæ utilius exponentur cum tractandis rebus philosophicis tyrones magis assueverint. De nobis enim merito expostularet Philosophia, si novellos et adhuc inexpertos ipsius tyrunculos statim a primo limine terreremus. Hic igitur satis erit duas generales regulas proponere, quarum altera syllogismos affirmantes, altera vero negantes spectat.

REGULA PRO SYLLOGISMIS AFFIRMANTIBUS.

Quando præmissæ sunt affirmantes, conclusio debet esse affirmans.

Ubi enim major est affirmans, declarat majus extremum cum medio termino convenire. Pariter quando minor est affirmans, indicat minus extremum termino congruere: atqui duo extrema non possunt cum eodem medio termino convenire, quin simul inter se consentiant; jam vero hæc consensio exprimi non potest, nisi per conclusionem affirmantem; ergo cum duæ præmissæ sunt affirmantes, affirmans esse debet conclusio.

Hæc regula isto nititur axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sive, *Cum duo conveniunt uni tertio, eadem etiam inter se conveniunt*. Quæ veritas isto exemplo comperta erit: *Si Petrus Jacobo sit magnitudine æqualis, et Paulus eidem Jacobo etiam æqualis, evidens est, Petrum et Paulum esse magnitudine pares*.

REGULA PRO SYLLOGISMIS NEGANTIBUS.

Quando una præmissarum est affirmans, et altera negans, conclusio debet esse negans.

Quando enim una præmissarum est negans, et altera affirmans, duo extrema ita se habent, unum ut cum medio termino conveniat, sicuti declarat præmissa affirmans: alterum vero non conveniat, ut denuntiat præmissa negans: atqui ubi ex duobus extremis unum convenit cum medio termino, et alterum non convenit, sequitur duo illa extrema inter se dissentire; porro hæc discrepantia non potest exprimi, nisi per conclusionem negantem; ergo cum una ex præmissis est affirmans, et altera negans, conclusio debet esse negans.

Præfata regula isto fundatur axiomate: *Quando ex duobus unum convenit cum tertio, et alterum non convenit cum eodem tertio, hæc duo non conveniunt inter se*. Quod, licet per se pateat, isto exemplo fiet illustrius: *Si Petrus Jacobo sit magnitudine æqualis, et Paulus eidem Jacobo inæqualis, manifestum est, Petrum et Paulum non esse magnitudine pares.*

Quæres II. quænam sit disputationis utilitas, et quid in ea cavendum.

Resp. Disputationes scholasticæ, et animorum veluti collisio, acuendis ingeniis, limandoque judicio plurimum inserviunt. Celeritas enim illa et brevitas respondendi et lacessendi, extemporalem auget dicendi facultatem, atque ubi ex eo quasi conflictu incaluit animus, multa excogitat. Tunc enim vires suas exerit, ut notiones veluti sepultas excitet, easque perspicue et plane exprimat. Sed cavendum est 1. ne ex longa disputationum consuetudine quædam inolescat contradicendi libido, quæ vitium est in societate maximum. 2. Ne disputationis æstu abrepti, non tam veritatis, quam victoriæ studio teneamus. Nihil enim a veritatis luce nos longius abducit, quam vehemens illa contentio, quæ veluti tempestas quædam, huc illuc nos jactat, et plerumque extra propositam quæstionem abripit.

Quisquis igitur utiliter disputare velit, eam animi moderationem afferat, quæ in verbis, vultu gestuque eluceat, uni veritati studeat, cavillationes fugiat, extra propositam quæstionem non divagetur, et præsertim a conviciis et verbis mordacibus et inurbanis abstineat. *Maledicta, contumeliæ,* inquit Tullius, *contentiones, concertationesque in disputando pertinaces, indignæ mihi Philosophia videri solent.* (*De finib. ben. et mal. Lib.* 1. *Num.* 8.)

CAPUT II.

De notione Philosophiæ generatim sumptæ.

Dicendum 1. de Natura; 2. de Divisione Philosophiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura Philosophiæ.

Philosophiæ, sicut et rei cujuslibet alterius, natura, non potest nisi per definitionem innotescere. Priusquam igitur rem aggrediamur, exponendæ sunt leges, ex quibus pendet accurata definitio.

Quæres 1. quid et quotuplex sit definitio.

Resp. Definitio est oratio explicans quod in re, vel in nomine est obscurum. Itaque duplex est, altera *nominis,* et altera *rei*. Definitio *nominis* ea est, qua declarat aliquis, quid hac vel illa voce intelligat; definitio *rei* est ea, quæ rei alicujus naturam explicat. Exemp. gr., si hominem ita definiam, *Homo est animal rationale,* tunc hominis naturam facio compertam, assignando nimirum quod ipsi cum aliis commune sit, quid vero proprium et speciale, quo differat ab aliis. Vox quæ exprimit quid res cum aliis habeat commune, dicitur *genus*. Sic in præfata hominis definitione, vocabulum *animal,* est genus, quo scilicet homo cum belluis convenit. Vox autem quæ enuntiat quid sit rei proprium, et quo discrepet ab aliis, vocatur *differentia*. Sic in prædicta defini-

tione, vox *rationale* est differentia, quia hominem a brutis animantibus discriminat.

Quæres 2. quotuplex sit definitio nominis.

Resp. Duplex distinguitur; alia *communis*, qua declaratur significatio jam alicui voci indita, et apud omnes recepta; alia *privata*, qua profitetur aliquis quid hac vel illa voce intelligat, et qualem ipsi adjungat. Definitio nominis privata impugnari non potest: facultatem enim habet unusquisque, hanc vel illam nominibus significationem illigandi, modo tamen ceteros præmoneat. Adhibenda est definitio nominis privata, ubi aliqua vocibus inest ambiguitas, ut tollatur confusio, et resecentur inanes verborum altercationes. Non mutanda est nominis significatio communis, nisi id postulet gravis ratio; tum quia difficilius intelligitur, qui usitatas voces ad novos insolitosque sensus detorquet; tum quia homines, non sine aliqua molestia, a significatione jam dudum recepta, sibique familiari, ad aliam novellam transeunt.

Quæres 3. quotuplex sit definitio rei.

Resp. Duplex est, alia scilicet accuratior, quæ sola definitionis nomen retinet, et rei naturam explicat per ipsius principia, ut ajunt, *constitutiva*, id est, per genus et differentiam; alia minus accurata, quæ vocatur *descriptio*. Hæc posterior, ut rei definiendæ notionem exhibeat, plurimas ejus proprietates congerit. Cum enim multa sint, quorum naturam, sive intimam constitutionem ignoramus, sæpe necesse est ut definitionis philosophicæ et propriæ dictæ vices suppleat definitio minus accurata, sive descriptio. V. g. in physicis materia electrica, lapis magneticus describi quidem possunt, non definiri; nondum enim satis cognita est utriusque natura, quamvis multæ proprietates innotescant.

Quæres 4. quot requirantur conditiones ad legitimam rei definitionem.

Resp. Quatuor postulari; prima est ut clara sit definitio: ad eum quippe finem adhibetur, ut magis liqueat rei definiendæ natura; nullas igitur contineat voces vel obscuras, id est, quæ nihil intelligendum præbeant, vel ambiguas, sive quæ multiplicem sensum involvant.

Secunda conditio est ut brevis sit, in eaque nihil redundet: si enim in ea congerantur voces otiosæ et inutiles, hæc verborum superfluitas animi attentionem partitur et distrahit; unde non parva nascitur luminis decessio.

Tertia, ut definitio sit reciproca, sive toti et soli definitio conveniat, ac proinde ut definitio, resque definita de se invicem affirmari possint.

Quarta, ut definitio constet genere proximo et differentia maxime propria. Genus autem proximum illud dicitur, quo res definita cum paucioribus convenit, et quod exponendæ illius naturæ magis est accommodatum. Si vero genus esset nimis vagum et commune, a rei definitæ notitia mentem longius transferret. Si, v. g. dixerim, homo est *ens rationale*, vocabulum *ens* esset genus latius, quo scilicet homo cum Deo et Angelis confunderetur. Contra, vox *animal*, cum genus sit minus vagum et minus generale, planiorem apertioremque facit hominis notionem.

Differentia maxime propria est ea, qua species definita distinguitur ab aliis ejusdem generis speciebus. Si, v. g. dixerim, *homo est animal mortale*, hominem ab aliis specie discrepantibus non secernerem; de eo quippe nihil affirmaretur, quod omnibus et diversis animalium speciebus non commune sit; necesse est igitur ut definitio constet non tantum genere proximo, sed etiam differentia maxime propria.

His prænotatis, ad Philosophiæ definitionem redeamus. Juxta vim nominis est *amor* sive *studium sapientiæ*. Qui nostram hanc disciplinam coluere, 1. dicti sunt *σόφοι*, idest *Sapientes*. Verum Pythagoras olim interrogatus a Leontio Rege, quem se esse profiteretur, modestiæ causa respondit se *Philosophum* esse, id est, sapientiæ studiosum et amatorem.

Si ad ipsam rei naturam attendamus, Philosophia a variis, tum veteribus, tum recentioribus varie definitur. Cum autem diversas illas definitiones describere et longum et inutile esset, eam quæ nobis magis arridet, statim proponimus.

PROPOSITIO.

Philosophia recte definitur, Cognitio ex primis principiis evidenter deducta.

(NOTA. Prima principia sunt propositiones generales atque evidentes, ex quarum veritate pendet et sequitur plurium aliarum propositionum veritas).

Prob. nostra propositio: Illa definitio est legitima, quæ omnes complectitur conditiones ad definitionem accuratam requisitas: atqui hujusmodi est præfata Philosophiæ definitio. Accuratæ enim definitionis leges ad istas revocantur, nempe ut sit clara, brevis, constetque ex genere et differentia: atqui nostra definitio tres illas conditiones habet sibi adjunctas. 1. Quidem est clara; si qua enim foret obscuritas, esset vel in illa voce *Cognitio*, vel in istis, ex *primis principiis evidenter deducta*: atqui neutrum dici potest, siquidem communem in iis vocibus significationem retinemus; ergo 1. nostra definitio est clara.

2. Est etiam brevis, cum ex ea nulla vox resecari possit, quin mutetur definitionis sensus et omittatur aliquid ad explicandam Philosophiæ naturam necessarium.

3. Constat ex genere et differentia. Genus situm est in hac voce *cognitio*. Illud quippe est Philosophiæ genus, quod pluribus aliis a Philosophia diversis convenit: atqui ita se habet vox *cognitio*; convenit, v. g., *opinioni* quæ est cognitio incerta; *fidei*, quæ est cognitio certa; *intelligentiæ*, quæ est primorum principiorum cognitio; ergo vox *cognitio* habenda est ut genus Philosophiæ, ac proinde nostra definitio 1. constat ex genere. 2. Præterea constat ex differentia, quæ istis vocibus designatur, *ex primis principiis evidenter deducta*: illæ enim voces Philosophiæ differentiam exprimunt, quæ eam a qualibet alia cognitione secernunt: atqui præfatæ voces Philosophiam a qualibet alia cognitione discriminant, v. g. a fide, opinione, errore, quæ e primis principiis profecto non eruuntur; et ab *intelligentia*, quæ cum

sit primorum principiorum cognitio, ab illis non deducitur; ergo voces istæ, *ex primis principiis evidenter deducta,* Philosophiæ differentiam designant; ergo nostra definitio continet philosophiæ differentiam, aliunde et illius genus; præterea clara est et brevis; omnes igitur complectitur conditiones ad definitionem accuratam requisitas; ergo est legitima.

Hinc D. Fleuri, vir exquisiti sane judicii, in suo de studiis tractatu, hominem ingenio vere philosophico præditum sic describit: *Un vrai Philosophe est un homme qui raisonne juste; qui est toujours en garde contre les causes de l'erreur; qui ne suit, dans la conduite de la vie, que la raison et la vertu; qui cherche en chaque chose à connaître la vérité et à remonter jusqu'aux premiers principes.*

COROLLARIUM.

Ex dictis colliges 1. ad Philosophiam proprie stricteque sumptam non pertinere cognitiones, quæ nonnisi probabilibus nituntur argumentis, quales eæ sunt, quæ ad æstus maritimi, et materiæ tum magneticæ, tum electricæ causas spectant. Eas enim duntaxat cognitiones, tanquam suas agnoscit, quæ cum primis principiis colligatæ sunt, ex iisque ope ratiocinii evidenter deductæ. Sic isto principio, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* syllogismorum regulas demonstrant Logici; sic isto principio, *Non datur effectus sine causa,* probant Metaphysici existere supremum aliquod Numen, a quo cetera omnia habent ut existant; sic isto ex principio, *Alteri ne feceris quod tibi fieri nolis,* colligunt Philosophi morales, alterius fortunæ, famæ et vitæ nihil damni inferendum esse.

Colliges 2. axiomata, sive propositiones per se evidentes, quales sunt istæ, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; Nihili nullæ sunt proprietates,* esse quidem cognitionum philosophicarum principia, cum ex iis, tanquam rivulus a fonte, deriventur; sed cognitiones non esse vere proprieque philosophicas; hujusmodi enim axiomata ita per se ma-

nifesta sunt, ut nullæ sint propositiones illis notiores, ex quibus per ratiocinium deduci possint.

Prima principia sunt quidem Philosophiæ fundamentum, sed eam proprie non constituunt: alioqui nullus foret, qui nobile Philosophi nomen sibi merito vindicare non posset. Omues quippe homines primis principiis imbuti sunt, nec inter se differunt, nisi ratione consectariorum, quæ ab iis deducuntur. Sic occurritur difficultatibus quæ proponi solent.

Quæres utrum existat Philosophia.

Resp. Existit: Philosophia quippe est alicujus rei naturalis cognitio ex primis principiis deducta: atqui multiplex existit hujusmodi cognitio: ad illud enim duo requiruntur et sufficiunt: primum ut existant prima principia; secundum ut ex iis plurimæ deducantur cognitiones: atqui utrumque certum est. 1. Quidem dantur prima principia. Nihil enim aliud sunt, quam propositiones ita per se evidenterque notæ, ut mentis assensum rapiant: atqui dantur hujusmodi propositiones, talis est ista: *Nihili nullæ sunt proprietates;* ergo 1. existunt prima principia. 2. Ex illis principiis deducuntur plurimæ cognitiones. Ex iis enim depromi potest, quod necessariam cum illis habet connexionem: atqui plurimæ cognitiones cum primis principiis necessario colligatæ sunt, in iisque involutæ. Sic, ut alias omittam, ista propositio, *Quidquid cogitat existit,* arctissimo nexu devincta est cum primo isto principio, *nihili nullæ sunt proprietates;* ergo 2. plurimæ sunt cognitiones, quæ ex primis principiis derivantur; ergo, etc.

Quæ proponi solent difficultates, commodius solventur, postquam certa et inconcussa esse quædam judiciorum nostrorum *motiva* demonstraverimus, et profligatum fuerit dubium generale Pyrrhoniorum.

ARTICULUS II.

De Divisione Philosophiæ.

Philosophia spectari potest ratione vel subjecti in quo residet, vel modi quo comparatur, vel objecti circa quod versatur.

1. Ratione *subjecti*, sive mentis humanæ, spectata Philosophia, dividitur in *actualem*, et *habitualem*. *Actualis* est ipse actus, sive exercitium philosophandi, qualis est in Philosopho disputante. *Habitualis* est facilitas, habitus, consuetudo philosophandi, qualis reperitur in Philosopho dormiente vel otioso.

2. Philosophia considerata ratione *modi*, quo potest haberi, distribuitur in *naturalem* et *acquisitam*. Philosophia *naturalis* est ipsum lumen a Deo nobis insitum, quo potest quilibet circa res naturales sine artis et disciplinæ subsidio ratiocinari. Philosophia *acquisita* est habitus seu facultas de rebus naturalibus philosophandi per actus repetitos comparata.

3. Philosophia ex parte *objecti* spectata, duplex est, *speculativa* nimirum et *practica*. *Speculativa* dicitur ea, quæ in objecti sui contemplatione conquiescit, nec de eo conficiendo tradit regulas. Talis est ea Philosophiæ pars, quæ circa mentem humanam versatur, siquidem de ea non disserit ut producatur, verum ut ipsius natura et proprietates innotescant. Philosophia *practica* illa est, quæ in objecti sui consideratione non sistit, sed transit ad opus, id est, de objecto recte efficiendo leges præscribit. Ita se habet ea Philosophiæ pars, quæ de actibus humanis occupatur. De iis enim ad honestatem moralem informandis præcepta tradit.

4. Alia est vulgaris divisio Philosophiæ in quatuor partes, *Logicam* scilicet, *Metaphysicam*, *Moralem*, et *Physicam*. Quam divisionem in nostro cursu philosophico retinebimus, utpote homini ad philosophiam instituendo maxime accommodatam. 1. Etenim Philosophiæ candidato necesse est, ut veritatis investigandæ et detegendæ modum percalleat. Quod ut assequatur, amicam opem feret Logica. 2. Mens ad veritatem cognoscendam præceptis Logicæ bene comparata, nihil habet in quo utilius versari possit, quam in sui auctoris, suique ipsius cognitione, quæ præcipuum est Metaphysicæ objectum. 3. Mens illis informata cognitionibus eas accipiet regulas, quarum ope dante Deo, purgetur a vitiis et ornetur virtutibus, quas regulas tradit Moralis. Tandem in Physica mirabitur inexhaustam Dei potentiam et bonita-

tem, summamque ipsius in stupenda hujus orbis machina sapientiam.

Ille est ordo, quem in explicandis variis Philosophiæ partibus sequemur. Sed eas ita perlustrabimus, ut omissis inanibus quæstiunculis, unicuique argumento, pro illius utilitatis et dignitatis ratione, simus plus minusve immoraturi.

PARS PRIMA
PHILOSOPHIÆ
SIVE
LOGICA.

Priusquam ipsa Logicæ quasi penetralia subeamus, nonnulla in antecessum sunt præmittenda.

1. Experientia constat, errores qui in judicia et ratiocinia nostra obrepunt, ex eo ducere originem, quod perperam cogitemus, adeo ut si rectis cogitationibus constanter imbueretur animus, eo ipso nullus superesset errandi locus, sed veritatem tuto assequeremur. Quamobrem circa cogitationum naturam nostrarum et proprietates, a peritis viris factæ sunt observationes, ex iisque deductæ regulæ, quibus mentis cogitationes recte dirigerentur. Disciplina autem, quæ hujusmodi observationes complectitur, dicta fuit *Logica* sive *Ars cogitandi*.

2. Logica suum nomen habet a græca voce λόγος, id est, *Sermo*, quia circa sermonem potissimum interiorem, seu cogitationes nostras, versatur. Cum enim mens cogitat, secum ipsa disserit, et interius sine vocis strepitu quasi colloquitur.

3. Cogitationes de quibus hic agitur, eæ sunt quæ ad veri cognitionem spectant. Revocari autem ad quatuor possunt, nimirum ad *perceptionem* sive *ideam*, *judicium*, *ratiocinationem*, et *methodum*. Etenim mens vel objectum aliquod ita cognoscit et percipit, ut de eo nihil affirmet aut neget, estque *perceptio*; vel de objecto aliquid affirmat aut negat, et hujusmodi cogitatio est *judicium*; vel unum judicium ex aliis infert et deducit, quæ operatio dicitur *ratiocinatio*; vel tandem perceptiones suas, judicia et ratiocinia eo disponit ordine, qui veritati detegendæ,

aut aliis manifestandæ, magis est accommodatus; quæ mentis functio vocatur *methodus*.

4. Quatuor illæ mentis cogitationes sunt Logicæ objectum. Cujuslibet enim disciplinæ objectum illud esse dicitur, circa quod versatur: atqui circa quatuor præfatas mentis cogitationes occupatur Logica; siquidem in eo tota est, ut tradat regulas, quibus ad perfectionem sibi propriam dirigantur perceptio, judicium, ratiocinatio, et methodus.

5. Logica definiri potest *scientia practica, mentis cogitationes dirigens*. 1. Dicitur *scientia*; ea quippe disciplina scientiæ titulum merito sibi vindicat, quæ certis demonstrat argumentis quas tradit regulas: atqui ita se habet Logica; docet, v. g. definitionem esse debere clariorem re definita, quia illius naturam explicat. Præterea suas de contexendis syllogismis regulas invictis confirmat principiis, ut postea sumus expositurі. 2. Dicitur *scientia practica*, quia in mera sui objecti contemplatione non conquiescit, sed de eo rite conficiendo regulas præscribit. Sic v. g. judicii et ratiocinationis non otiosa est speculatrix; sed normam instituit, juxta quam utrumque fieri debeat. 3. Dicitur *mentis cogitationes dirigens*; eo quippe spectat, ut cogitationes nostras ad rectitudinem, et perfectionem singulis propriam informet, ut v. g. veritatem in judicia, et ordinem inter ideas inducat.

Cum autem cogitationes nostræ ad quatuor, ut jam diximus, revocentur, nimirum ad perceptionem sive ideam, ad judicium, ratiocinationem, et methodum, idcirco quidquid de Logica dicturi sumus, quadruplici dissertatione continetur.

DISSERTATIO PRIMA

DE PERCEPTIONE SIVE IDEA.

Multi post Malebranchium Philosophi arbitrantur aliud esse ideam, aliud perceptionem. *Ideam* appellant objectum ipsum a mente perceptum, sive quod menti percipienti est immediate præsens. *Perceptionis* autem nomine intelligunt modum, sive affectionem mentis percipientis. Celeberrimam hanc quæstionem in Metaphysica expendemus. Nunc vero *perceptionis* et *ideæ* nomina promiscue accipimus.

Perceptio duplici modo spectari potest, nimirum vel quatenus in mente existit et concipitur, vel quatenus signis expressa extra mentem profertur.

CAPUT PRIMUM.

De Perceptione, prout in mente existit, spectata.

Perceptio, prout in mente existit, considerari potest vel ratione sui, vel ratione functionum mentis circa eam versantis. Perceptionem sub duplici illo respectu duobus in articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Perceptione, sive Idea, ratione sui spectata.

Perceptio, sive idea, quatenus a ceteris mentis cogitationibus differt, definiri solet *mera alicujus objecti repræsentatio in mente existens*.

Dicitur autem 1. *repræsentatio*. Si enim a me quæsieris utrum percipiam æqualitatem, quæ inter bis duo et quatuor intercedit, ut eam mihi perspectam esse affirmem, illud responsi tibi dabo: *Hanc mihi clare repræsento*. 2. Dicitur *mera repræsentatio*: est enim simplex rei alicujus contemplatio, de

ea nihil affirmans aut negans. Per ideam igitur, sive perceptionem, non admonemur duntaxat, quomodo se habeat principium nostrum cogitans, sed præterea quænam sit objecti extra nos positi natura, edocemur. Sic idea trianguli de ipsius natura nos certiores facit, illud nempe exhibendo, ut figuram tribus lateribus totidemque angulis constantem.

COROLLARIUM I.

Ergo nihilum non potest percipi, sive esse objectum ideæ; 1. quia idea est alicujus *entis* repræsentatio: atqui nihilum non est ens; ergo, etc.; 2. quia percipi idem est ac repræsentari: atqui nihilum non potest exhiberi; siquidem ex axiomate ab omnibus recepto, *nihili nullæ sunt proprietates*; ergo, etc.

COROLLARIUM II.

Ergo impossibile nequit percipi ut possibile; 1. quia impossibile merum est nihilum; 2. quia mens impossibile ut possibile percipere non potest, quin aliquam percipiat convenientiam inter attributa entis impossibilis: atqui nullam percipere potest; siquidem nulla omnino est; nulla quippe existit consensio inter ea, quæ sese invicem destruunt: atqui attributa entis impossibilis sese, etc. Sit in exemplum circulus quadratus: atqui attributa circuli quadrati sese mutuo destruunt; nam circulus tollit quadratum: quadratura autem circulum perimit; ergo inter attributa entis impossibilis nulla est convenientia; ergo non potest percipi; ergo, etc.

Objicies 1. Deus crudelis potest percipi; ergo impossibile potest percipi ut possibile.

Resp. Neg. ant. ut enim Deus crudelis perciperetur, aliqua esse deberet Deum inter et crudelitatem convenientia: atqui nulla existit; Deus enim est Ens summe perfectum, crudelitas autem vitium.

Instabis: Tam potest Deus percipi crudelis, quam judicari: atqui potest judicari crudelis, ergo et percipi.

Resp. Neg. maj. et parit. perceptio enim se habet

ad mentem, ut visio ad oculum corporeum; quemadmodum igitur sub aspectum venire nequit objectum quod nullo modo existit, ita et percipi non potest Deum inter et crudelitatem convenientia, siquidem nulla prorsus est. Judicare vero nihil aliud est, quam objectis tribuere aliquid per affirmationem, aut ipsis detrahere per negationem: porro multæ sunt causæ quæ judicium ita vitiare possunt, ut objectis assignent quod ipsis non convenit, crudelitatem v. g. Deo. Hujusmodi causæ sunt præcipitatio, præjudicia, cupiditates, etc.; ergo potest Deus judicari crudelis, quamvis talis percipi nequeat.

Instabis: Perceptio judicium omne antecedit; ergo Deus non potest judicari crudelis, quin prius talis concipiatur.

Resp. Disting. ant. perceptio subjecti et attributi omne judicium antecedit, conc. perceptio convenientiæ inter subjectum et attributum, etc. neg. ant.

Revera cuilibet judicio prævia est subjecti et attributi perceptio. Sic percipitur quidem Deus; aliunde etiam habetur idea crudelitatis; sed inter Deum et crudelem nulla deprehenditur consensio, cum nulla sit: idcirco falsum est istud judicium; *Deus est crudelis*. In eo quippe pronuntiatur, aliquam inter istas ideas intercedere convenientiam, quæ perceptione nec exhibetur, nec exhiberi potest: falsum autem, vel temerarium est judicium, quoties ultra illud, quod perceptione repræsentatur, excurrit.

Ob. 2. Percipere impossibile, ut possibile, nihil aliud est, quam percipere tanquam possibile quod repugnat existere; atqui tanquam possibile percipi potest quod repugnat existere; ergo, etc.

Prob. min. Circulus in genere percipitur ut possibilis: atqui existere circulum in genere repugnat; ergo, etc.

Resp. Dist. min id est, circulus non potest existere cum eo solo quod repræsentatur per ideam circuli in genere, conc. id est, non potest existere cum eo omni, quod repræsentatur per ideam circuli in genere, neg. min.

Non potest quidem circulus existere cum eo solo quod exhibetur per ideam circuli in genere, v. g.

sine diametro determinata; sed potest existere cum eo omni quod exhibetur per ideam circuli in genere. Quod enim per ideam hanc repræsentatur, est ipsamet circuli essentia ab omnibus circumstantiis sejuncta: atqui profecto circulus existere potest cum sua essentia; ergo, etc.

Huic solutioni majorem lucem afferet exemplum sequens: Quotidie viatores itineris longitudinem considerant, ut abstractam ab ipsius latitudine et profunditate. Porro iter non potest existere cum eo solo quod exhibetur per illam abstractam itineris ideam, id est, cum sola longitudine. At nihil obstat quominus iter existat cum eo omni quod repræsentatur per ideam hanc abstractam, id est, cum tota sua longitudine: imo fieri non potest, ut sine ea existat.

ARTICULUS II.

De mentis circa suas perceptiones functionibus.

Ex iis functionibus primaria et fœcundissima est *reflexio*, ex qua aliæ, tamquam rivuli e fonte, derivantur, nempe idearum *compositio* et *resolutio*, *abstractio* seu *præcisio*, *comparatio*, *discretio* et *distributio*. De quibus seorsim agendum est.

PARAGRAPHUS I.

De reflexione.

Reflexio est ea mentis functio, qua in seipsam suasque ideas sese quasi reflectit et replicat, easque attentius contemplatur. Ea facultate nisi polleret animus, quanta cogitationum penuria laboraret! tunc enim ideæ nonnisi raptim animum perstringent, statimque effluerent et elaberentur. Per *reflexionem* vero ideas quasi apprehendimus, et sub animæ oculis sistere cogimus, ut in iis expendendis, introspiciendis, comparandis, etc. quantum sibi libuerit, immoretur. Sic crescit, invalescit et perficitur ratio humana, animusque ditissima cognitionum supellectile instruitur.

Attentio quidam est *reflexionis* gradus, et definiri potest animi ad suas perceptiones applicatio, ejusque veluti conatus, quo nititur ideas suas sub oculis suis retinere, et diligentius scrutari. Hæc facultas maxima est mentis perfectio, licet ejus infirmitatis manifestum sit argumentum. Si enim uno intuitu posset quidquid in ideis comprehenditur, arripere et pervidere, illi minime opus esset eas ante suum veluti conspectum detinere, quo maturius introspiciantur. Sed illud solius Entis infiniti privilegium est, ut reconditos omnes et intimos rerum sinus et recessus uno et simplici oculorum conjectu pervadat.

Si vero concessum nobis non fuit, quidquid in ideis nostris continetur, uno quasi aspectu deprehendere, in attentione habemus imbecillitatis nostræ supplementum. Hæc enim vim habet fugaces ideas sistendi, ut iis commode excutiendis vacare possit animus. Hoc autem infirmitatis nostræ adminiculo uti renuunt plerique homines; attentionis enim impatientes omnia cursim et festinanter perstringunt, ut inquietæ curiositati indulgeant. Hac vero prava consuetudine hebetatur *reflexionis* acies, ex qua tamen maxime pendent ingenii opes et rationis perfectio.

Quæres quo pacto excitetur et foveatur quæ tanti momenti est attentio.

Resp. 1. Scientiæ, cui operam dare statuimus, præstantiam et utilitatem intueri debemus. Quæ enim pluris facimus, attentiore et alacri animo ediscimus. Cum scilicet nobis quædam a natura indita sit propensio, qua verum et bonum prosequamur, dubium non est quin mens ad ea cognoscenda lubentius sese ferat, quorum dignitatem et utilitatem compertas habuerit.

2. Attentionem plurimum juvat locus ab hominum turba et strepitu remotus. Hinc Musæ a Poetis finguntur desertos montes incolere.

3. Excitandæ attentioni non mediocriter inservit tempus opportunum. Illud autem est aptissimum quo mens nec longiore exercitatione, neque negotiorum mole fuerit defatigata. Idcirco tempus matutinum studio est maxime idoneum; tunc enim, sensibus non-

dum rerum objectarum varietate turbatis, animus, quasi collectis viribus, rebus percipiendis est paratior, et meditationi liberius indulget. Hinc Aurora Musis amica dicitur.

4. Sobrius alimentorum et poculorum usus, voluptatisque fuga, maximo sunt ad retinendam attentionem adjumento. Idcirco qui vino et dapibus sese ingurgitare solent, aut voluptatibus serviunt, ii veritati inquirendæ fiunt impares. Animi enim veluti nervos libido illius aciem obtundit, eumque tardum et inertem efficit, ut pluribus infausta compertum est experientia. Quisquis igitur attentum scientiis animum afferre voluerit, suas libidines sapiens coerceat.

PARAGRAPHUS II.

De Compositione et Resolutione idearum, unde pendent ideæ simplices et compositæ.

Mens *reflexionis* ope ideas contemplans, nonnunquam plures ex illis colligit, ut notionem unicam ex omnibus effingat; interdum vero ex ideis notionem aliquam componentibus nonnullas detrahit, ut notio fiat simplicior et minus impedita. Functiones illæ mentis dicuntur *compositio* et *resolutio idearum*.

Idea simplex ea dicitur, quæ ex pluribus aliis non est quasi conflata; tales sunt ideæ affirmationis, negationis, unitatis. Idea composita ea est, quæ ex pluribus aliis coalescit. Hujusmodi sunt horologii, idea sphæræ armillaris, idea corporis humani.

Observandum est 1. definiri non posse ideas simplices. Omnis enim definitio nihil aliud est quam alicujus ideæ explicatio et evolutio: atqui ideæ simplices nec explicari nec evolvi possunt; siquidem non sunt compositæ. Definitio autem cadere potest in ideas compositas; cum enim ex pluribus ideis coalescant, explicari, evolvi, ideoque definiri possunt: sic ira definiri potest, corporis et animi perturbatio, quæ oritur ex ideæ molestæ ob alicujus culpam nobis obversantis præsentia: in ira enim continetur 1. corporis vehemens commotio; 2. animi ardor haud levis; 3. idea quædam molesta eidem præsens; 4. alicujus culpa, quæ ideam hanc excitet.

Observandum est 2. a mente effici non posse ideas simplices, animamque circa eas esse mere otiosam. In se, v. g. procreare non posset perceptionem coloris quem nunquam vidisset, soni quem nunquam audisset, odoris quem nunquam olfecisset, saporis quem nunquam gustasset. Ideas autem compositas mens potest efficere, multas scilicet ideas colligendo, ex quibus compositam alteram effingat; sic ideam montis aurei cudit, auri et montis ideas simul consociando.

PARAGRAPHUS III.

De abstractione seu præcisione idearum, unde pendent ideæ universales.

Mens in ideas sese *reflectens*, quasdam objecti proprietates, aliis semotis, expendit: hæc mentis operatio dicitur *abstractio*, seu *præcisio*, quia per eam mens nonnullas objecti proprietates ab aliis quasi abstrahit et præcidit. Hæc functio non utilis tantum, sed etiam necessaria est mentibus humanis, quæ nonnisi paucas ideas uno simul intuitu complecti possunt. Facile quidem est ea mente comprehendere, quæ paucis gaudent perfectionibus. Non multum, v. g. temporis insumendum est ad cognoscendum quid sit linea recta, et quæ hujus proprietates. Sed pauca sunt tantæ simplicitatis objecta. Pleraque magis intimos et reconditiores habent recessus, in quibus suscipiendis multum difficultatis offendit animus. Quo uberiorem et ditiorem quasi fundum offerunt, eo major et acrior in iis considerandis adhibenda est attentio. Quam impedita esset mens humana, si totam hujusmodi objectorum amplitudinem simul intueri necesse foret! quanta inde nasceretur obscuritas! ut corporis, ita et mentis se habent oculi. Si patentissimum in campum oculos circumferam, tunc infinita objectorum multitudo in visus organum promiscue et turmatim irruit. Si vero amœnissimum in hortum oculos conjiciam, tum confusus et perturbatus erit ille aspectus, dum diversas tot rerum species simul complectetur. Denique si visus aciem in flore unico defigam, tunc fit distinctior. Totam tamen et integram

unius hujus floris pulchritudinem non deprehendam, nisi singulas illius partes totidem aspectibus perlustraverim.

Eadem est mentis ratio. Prorsus inutilis est *reflexio*, cum totum, quaqua patet, objectum complectitur. Nisi enim atteutionem suam intra quamlibet seorsim objecti partem coerceat, hæc rei penitus introspiciendæ impar erit. Eo quippe debilior et remissior est attentio, quo diffusior. Si vero mens totum fere objectum injecto quasi velo contegat, et unam tantum illius particulam retegat, tunc in eam *reflexio* totam vim suam exerens, hanc poterit dilucide et distincte percipere. Mens itaque objecta, vel maxime abstrusa perscrutari potest, ea varias in particulas dividendo et præcidendo, quas sigillatim expendat. Hæc operatio, quæ dicitur *abstractio*, mentis quidem humanæ infirmitatem demonstrat; verum ex ea, velut e fonte ditissimo, profluit quidquid est cognitionis distinctæ et explicitæ.

Sapientissimam hanc methodum secuti sunt Geometræ, quorum scientia versatur circa corpus ex triplici dimensione, nempe longitudine, latitudine, et profunditate conflatum. Quod ut magis compertum habeant, primo solam illius longitudinem inspiciunt, et tunc ab ipsis dicitur *linea*. Deinde ratione longitudinis simul et latitudinis ab iis consideratur, et sub eo respectu appellatur *superficies*. Denique tres illius dimensiones simul conjunctas expendunt, et tunc vocatur *solidum*, sive *corpus*. Cavendum tamen est ne in ipsamet objecta transferantur hujusmodi sectiones. Meræ sunt enim mentis operationes, quæ cum nequeat præ sua infirmitate totum objectum simul introspicere, illud quasi frustatim considerat. Hinc patet quam inepte argumententur nonnulli Sceptici, qui ut veritates geometricas in dubium vocent, ajunt a Geometris admitti lineas et superficies, quæ in rerum natura nunquam extitere. Minime enim supponunt Geometræ existere lineas sine latitudine, vel superficies sine profunditate; id unum scilicet volunt, nimirum expendi posse corporum longitudinem, non considerata ipsorum latitudine et superficiem, prætermissa profunditate, quod nemo sanus negaverit.

Quæres 1. quomodo per abstractionem formentur ideæ universales.

Resp. Auxiliante *abstractione*, ideas universales effingimus, dum ex objectis singularibus ea detrahimus, quibus singularia constituuntur, ad illasque tantum proprietates attendimus, quas cum multis aliis habent communes. Cum v. g. triangulum æquis lateribus video, si locum in quo positum est, ceterasque omnes circumstantias ad illud pertinentes considerem, hæc idea erit singularis, et nonnisi triangulum determinatum exhibit. Si vero a circumstantiarum intuitu animum revocem, idque unum cogitem, nempe figuram esse tribus lineis æqualibus comprehensam, inde nascetur idea universalis, quæ omnia paribus lateribus triangula mihi repræsentare poterit.

Si vero præcisionem ulterius promoveam, et omissa linearum æqualitate, id unum attendam, nimirum figuram esse tribus lineis terminatam, hæc idea erit repræsentandis omnibus triangulis idonea.

Denique longius progrediatur *abstractio*, ita ut animus id unum recogitet, scilicet, extensionem ex omni parte terminatam, nulla habita ratione modi quo circumscribitur: tunc idea fiet multo generalior, et exhibendis omnibus figuris erit accommodata. *Figuræ* enim nomine nihil aliud intelligitur, quam extensio terminata. Ergo diversus est universalitatis gradus prout pauciores vel plures objecti circumstantias animus per *abstractionem* præcidit.

Quæres 2. quænam sint in idea universali distinguenda.

Resp. Duo sunt potissimum secernenda, nempe ejus *comprehensio*, *et extensio*. *Comprehensionis* nomine intelligitur attributorum seu proprietatum complexio, quæ in idea continentur, et sine quibus nec esse nec concipi potest objectum per ideam repræsentatum. Sic, v. g. corpus organis instructum, et anima rationis particeps, sunt comprehensio ideæ hominis, quia sine iis homo neque existere, neque concipi potest. *Extensio* nihil aliud est, quam subjecta quibus convenit idea universalis. Sic Cæsar, Aristoteles, Cicero, singuli denique homines, sive existentes, sive possibiles, continentur sub extensione ideæ

universalis hominis, quia omnes et singulos homines exhibet, iisque convenit.

PARAGRAPHUS IV.

De comparatione idearum, unde innotescunt ideæ consentientes, et oppositæ.

Mens in ideas sese reflectens, attentionem suam modo in has, modo in illas alternis vicibus convertit, aut plures simul intuetur ut earum relationes percipiat. Hæc mentis operatio dicitur *comparatio*. Per eam deprehendimus quænam ideæ secum consentiant, aut a se invicem dissentiant. Consentientes dicuntur illæ, quæ simul eidem subjecto possunt competere; tales sunt ideæ extensionis et mobilitatis, quia eidem corpori simul convenire possunt. Ideæ autem sibi repugnantes sunt eæ, quæ simul eidem objecto congruere nequeunt. Hujusmodi sunt extensionis et simplicitatis ideæ, quæ simul in eodem subjecto sunt insociabiles.

Quæritur utrum mens suas ideas alias cum aliis conferendo, possit relationem convenientiæ percipere inter ideas quæ sibi mutuo repugnant. Quæstionem hanc solvet sequens

PROPOSITIO.

Relatio convenientiæ percipi non potest inter ideas sibi mutuo repugnantes.

Prob. Illa relatio nequit a mente percipi, quæ nec est, nec esse potest (prius est enim aliquid esse aut esse posse, quam percipi): atqui inter duas ideas revera sibi repugnantes non potest esse relatio convenientiæ, alioquin illæ consentirent simul et dissentirent: dissentirent quidem ex hypothesi: consentirent vero, cum inter eas esset aut esse posset relatio convenientiæ; ergo, etc. Objicies: Convenientia percipi potest inter duas ideas, quarum non percipitur repugnantia: atqui, licet duæ sibi repugnent ideæ, earum tamen repugnantia aliquando non percipitur. Sic po-

test non deprehendi repugnantia cogitationem inter et extensionem; ergo percipi potest convenientia duas inter ideas sibi invicem repugnantes.

Resp. Neg. maj. Ut enim duas inter ideas repugnantes percipi possit convenientia, non satis est earum repugnantiam non deprehendi; sed præterea requiritur ut inter eas nulla intercedat repugnantia. Quamdiu enim aderit, tandiu nulla erit inter eas relatio convenientiæ; quamdiu autem nulla erit, non poterit a mente percipi.

Instab. Percipi potest convenientia duas inter ideas, quæ nullam habent repugnantiam: ergo pariter percipi potest convenientia inter ea quæ repugnare non deprehenduntur.

Resp. Neg. conseq. et parit. Ratio disparitatis est, quia ubi nulla est repugnantia, ibi adest convenientia, ideo potest percipi; ex eo quod vero duas inter ideas non deprehendatur repugnantia, minime sequitur inter eas adesse consensionem; potest, v. g. aliquis ignorare repugnantiam, quæ materiam inter et æternitatem intercedit; numquid idcirco inter utramque aderit convenientia?

Instab. Repugnantia quæ non percipitur, se habet respectu mentis, perinde ac si reipsa nulla esset: atqui ubi reipsa nulla est repugnantia, percipi potest a mente convenientia; ergo etiam percipi potest inter ea, quæ sibi repugnare non deprehenduntur.

Resp. Neg. maj. et parit. Ubi enim reipsa nulla est repugnantia, tunc procul dubio adest convenientia. Contra vero, licet duas inter ideas sibi oppositas mens nullam detegat repugnantiam, idest, eam ignoret, inter eas tamen revera intercedit, nullaque proinde reperitur convenientia; non potest ergo percipi.

PARAGRAPHUS V.

De idearum discretione, claritate et obscuritate, distinctione et confusione.

Mens in ideas sese *reflectens*, et alias cum aliis comparans, eas a se invicem discernendi facultatem habet. Hæc mentis functio dicitur *idearum discretio;*

pendetque ab idearum claritate et distinctione. Idea autem *clara* dicitur ea, quæ objectum suum ita repræsentat, ut quid aut quale sit bene intelligatur. Contrarium de idea obscura, si qua esset, dicendum foret. Idea *distincta* vocatur ea, quæ suum objectum a quovis distinguit. Contrarium de idea *confusa*, si qua existeret, sentiendum esset. Hic autem quæritur, utrum omnis idea sit clara et distincta.

PROPOSITIO.

Omnis idea clara est ac distincta, ita ut proprie loquendo, nulla sit idea obscura et confusa.

Prob. Admitti non possunt ideæ, proprie loquendo, id est ratione sui, obscuræ et confusæ, quin obscuritas et confusio ipsas afficiant ideas: atqui ipsas non afficiunt. Si enim obscuritas et confusio ipsis inessent ideis, quo plures de quodam objecto ideæ haberentur, eo magis crescerent in mente obscuritas, et confusio, eoque minus clare, minusque distincte perciperetur objectum: atqui illud prorsus absurdum est. Constat enim apud omnes, eo clariorem et perfectiorem esse rei cujuslibet cognitionem, quo circa eam uberior est in mente idearum copia; ergo, etc.

SCHOLIUM PRIMUM.

Si igitur apud homines sequens idearum obscurarum fiat mentio, conclude illud non philosophice, sed populariter dictum. Potiori jure dicerentur non sufficientes ad distinctam objecti cognitionem afferendam. Ubi enim aliquid obscuritatis in mente superest, illud non oritur ex præsentis ideæ obscuritate, sed tantum ex alterius ideæ claræ absentia, quam menti affulgere opus esset, ut distinctius cognosceretur objectum.

SCHOLIUM II.

Ad idearum complexarum accuratam discretionem, multa sæpe opus est attentione. Ut enim certum

fiat earum discrimen, præsertim ubi sunt maxime affines, exponendum est quot et quænam sint ideæ, ex quibus coalescit utraque notio discernenda. Res illustratur exemplo, quod gallice narrat Ruffier.

Vir quidam non ignobilis contendebat bellatores pro veris sicariis habendos esse. Quod ut probaret, istud argumentum afferebat, sicarius proprie dictus est quisquis alium ex improviso et insidiis occidit; atqui illud bellatoribus frequens contingit; ergo inter sicarios numerandi sunt.

Verum quidem est ex ideis quæ sicarii notionem efficiunt, multas esse quæ bellatoribus conveniant, sed non tamen omnes. In sicarii enim notione, præter ideam homicidii ex improviso et insidiis perpetrati, continetur etiam idea homicidii contra legem commissi. Perperam igitur concludebat noster dialecticus eamdem esse sicarii et militis ideam. Sed in complexione idearum, ex quibus sicarii notionem sibi effingebat, tot deprehendebat ideas iis consimiles, ex quibus conflatur notio bellatoris, ut aliam pro alia indiscriminatim acciperet. Eodem vitio sæpius laboramus, unde innumera nascuntur falsa judicia.

Il arrive souvent, inquit idem Buffier, *que voyant un diamant taillé à huit facettes, nos yeux ne le distinguent point à la première vue, et sans un examen attentif, d'un diamant à neuf facettes. Ainsi nôtre esprit voyant un amas de neuf idées partielles, ne le distingue point d'un assemblage de huit idées. C'est pourquoi on ne saurait prendre trop de soin à examiner précisement, de quelles idées, et de combien d'idées est composée chacune des deux idées complexes, dont on veut faire le discernement.*

PARAGRAPHUS VI.

De idearum in varias species distributione.

Mens in ideas sese reflectens, eas componens aut resolvens, abstrahens, comparans, discernens, ideas tandem in varias classes et species distribuit, prout eas considerat vel ratione sui, vel ratione tum origi-

nis, tum objecti quod repræsentant, tum modi quo illud exhibent.

1. Idea ratione sui dividitur in *directam*, quæ est objecti repræsentati perceptio; et *reflexam*, quæ est perceptionis sensus intimus.

2. Idea, ratione *originis* triplex distinguitur, scilicet *innata, adventitia*, et *factitia*. *Innata* dicitur ea, quæ statim ab ortu mentibus nostris a Deo insculpta est, ut idea ipsius Dei. *Adventitia* definitur ea, quæ menti nostræ advenit occasione impressionum, quibus corpora sensuum nostrorum organa commovent. Hujusmodi est idea Solis. *Factitia* appellatur ea, quæ ex ideis, quibus mens nostra jam informata est, coalescit, et veluti componitur. Talis est idea montis aurei, quam mens sibi effingit ex idea montis et idea auri.

Idea ratione *originis* spectata rursus dividitur in intellectionem puram, imaginationem, et perceptionem ex sensibus.

Intellectio pura est ea perceptionis species, qua mens aliquid sibi repræsentat absque sensuum interventu, et citra ullam objecti quod percipitur, imaginem sensibilem. Hac ratione mens cognoscit Deum, seipsam, prima principia, et mathematicas corporum proprietates, v. gr. radiorum æqualitatem in circulo.

Imaginatio illud est perceptionis genus, quo mens aliquid sibi fingit sub imagine sensibili, at sine præsente sensuum commotione: sic oculis clausis, Solem mihi repræsento tanquam discum flammeo colore suffusum.

Perceptio ex sensibus ea dicitur, qua mens aliquid sub imagine sensibili concipit, et cum præsente sensuum commotione. Hujusmodi est perceptio cujusdam corporis, quod meis sensibus obvium est.

Ultima hæc perceptionis species adjunctam semper habet aliquam sensationem, id est, quandam impressionem, gratam aut ingratam, magis vel minus vividam, quæ occasione sensuum in mente nostra excitatur. Sic, v. gr. juxta leges conjunctionis inter animam et corpus a Deo institutæ, manum meam ad ignem admovere non possum, quin mens quandam experiatur impressionem, quæ dicitur sensatio caloris.

3. Idea ratione objecti dividitur in ideam *rei*, sive substantiæ, in ideam *modi*, et ideam *rei modificatæ*. Idea *rei* sive *substantiæ* est ea, quæ rem exhibet in se subsistentem, id est, quæ ut existat, non indiget subjecto in quo recipiatur. Tales sunt ideæ circuli, trianguli, arboris, etc. Idea *modi* est ea, quæ repræsentat aliquid in alio, tanquam subjecto, existens. Hujusmodi sunt ideæ motus, figuræ, coloris; quia motus, figura, color existere non possunt, nisi in corporibus quorum sunt modi. Idea *rei modificatæ* dicitur ea, quæ rem non suo modo exhibet: tales sunt ideæ parietis albi, hominis docti.

Præterea idea ratione objecti spectata, distribuitur in *singularem, particularem,* et *universalem*. Idea *singularis* ea est, quæ rem unam, singularem et determinatam repræsentat, qualis est idea *Petri*. Res autem singularis appellatur *individuum;* quia non potest dividi in multas, quæ tales sint qualis est ipsa. Sic Petrus dicitur *individuum* hominis, quia nequit in multos Petros dividi.

Idea *particularis* ea est, qua exhibetur objectum particulare, sive individuum aliquod, vel unicum, vel multiplex, sed minime determinatum, v. gr. *aliquis homo,* quem nescio an sit Paulus, Petrus, etc. vel *aliqui homines,* quos ignoro utrum hi sint, an illi.

Idea *universalis* dicitur ea, quæ omnibus ejusdem speciei aut generis individuis pariter convenit. Ita se habet idea hominis, quæ Petro, Paulo, Jacobo ex æquo competit. De idea universali jam supra dictum fuit.

4. Idea ratione modi quo suum objectum repræsentat, a nonnullis dividitur, 1. in *claram* et *obscuram;* 2. in *distinctam* et *confusam*. Sed expungendæ sunt duæ illæ divisiones, quia ex supra dictis constat nullam ideam, proprie loquendo et ratione sui, obscuram esse vel confusam. 3. in *veram* et *falsam*.

Circa idearum autem veritatem et falsitatem triplex occurrit opinio. Peripatetici sentiebant ex ideis permultas esse veras, nonnullas etiam falsas. Sic, juxta ipsos, dum turris eminus conspicitur, in mentem subrepit idea falsa, qua scilicet hæc turris exhibetur ut rotunda, quamvis sit quadrata. Cartesiani

falsitatem ideis nunquam subesse pronuntiant. Demum Lockiani veritatem perinde et falsitatem ab ideis excludunt. Ibi enim, inquiunt, nulla veritas, nullaque falsitas esse potest, ubi nihil affirmatur nihilque pariter negatur: atqui ideæ neque negant, neque affirmant, immerito igitur veræ vel falsæ nuncupantur.

Quid inter præfatas opiniones sit discriminis, isto exemplo patebit: fingamus pictori demandatum fuisse, ut Regis effigiem coloribus exprimeret. Opere perfecto, spectantium oculis tabella palam exponitur. Peripateticus qui, depicta imagine vultum Principis accurate non referri putat, ait: en falsa repræsentatio. Cartesianus autem Regis vultum non quidem agnoscit, sed profitetur tamen veram esse repræsentationem, quia nempe, sin Regis, saltem alia quælibet facies vere exhibetur. Tandem Lokianus nec veram nec falsam esse imaginem asserit, quia scilicet hominis faciem tantummodo exhibet, nec affirmat aut negat eam esse vultui Regis persimilem. Quod vero de tabella pronuntiarent præfati Philosophi, id ipsum et eodem sensu de ideis statuunt. Quid de illa controversia sentiendum sit, aperiet sequens.

PROPOSITIO.

Quæstio circa idearum veritatem mota, in meram desinit Logomachiam.

Probatur, quia nonnullæ ideæ sunt falsæ ad mentem Peripateticorum, et omnes veræ ad sensum Cartesianorum, et neque veræ, neque falsæ ad sensum Lockianorum.

1. Quidem dantur ideæ falsæ juxta mentem Peripateticorum. Per ideam enim falsam, eam intelligunt quæ objecto suo externo est dissentanea: atqui hujusmodi sunt plurimæ ideæ. Etenim qui ad præsentiam aurichalci aurum percipit, is profecto non habet ideam aurichalco consentaneam; ergo dantur ideæ falsæ, si, ut volunt Peripatetici, veritas idearum ab ipsarum cum objectis externis consensione pendeat.

2. Omnis idea vera est ad sensum Cartesianorum. Ideam enim veram eam appellant, quæ non objectis

quidem externis, sed objecto, ut ajunt, interno congruit: atqui hoc sensu omnes ideæ sunt veræ: sic qui, præsente lupo, ideam canis habet, vere canem percipit.

3. Ideæ nec sunt veræ nec falsæ ad sensum Lockianorum. Ad veritatem enim aut falsitatem ab iis requiritur affirmatio vel negatio; atqui reipsa nihil affirmant, nihil negant ideæ; ergo, etc. de vocibus igitur tantum disputant præfati Philosophi. Veritatem idearum diversimode definiunt, et exinde in varias abeunt opiniones, quanquam, re penitus introspecta, perfecte consentiant.

CAPUT II.

De Perceptione prout extra mentem profertur.

Quæcumque perceptiones nostras exterius manifestant, dicuntur earum signa. Agendum 1. de signis generatim; 2. de signis cogitationum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Signis generatim.

Signum generatim illud est, quod in alterius cognitionem nos ducit. Unde signum duplicem semper excitat ideam, nimirum aliam sui ipsius, et aliam rei significatæ.

Signum multiplicis est generis. 1. Aliud est *naturale*, aliud *arbitrarium*. *Naturale* est illud quod ex se, et natura duce, aliquid significat. Sic gemitus, tristitiæ, respiratio, vitæ animalis est signum naturale. *Arbitrarium* illud est, quod ex libero duntaxat hominum instituto rem aliquam significat. Sic apud Gallos usus invaluit, ut qui nobili genere sunt conspicui, ensem suo lateri accommodent, qui eam ob causam vulgo dicitur Nobilitatis signum, quemadmodum apud Romanos purpura dignitatem Consularem indicabat.

2. Signum dividitur in *certum* et *incertum*. *Certum* illud est, quod ita necessariam habet cum re si-

gnificata connexionem, ut sine erroris metu in illius notitiam nos ducat. Sic respiratio certum est signum vitæ animalis. *Incertum* vero dicitur, quando cum re significata necessario non est colligatum, et nonnisi probabiliter in alterius cognitionem nos perducit. Talis est arteriæ pulsus acceleratus aut inæqualis, respectu febris. Hæc enim celeritas aut inæqualitas a corporis motu, vel ab aliqua animi commotione oriri potest.

3. Quædam signa cum rebus significatis junguntur. Sic ablutio Baptismatis adjunctam habet, cujus est signum, gratiam, qua scilicet animæ sordes, sive peccata absterguntur. Sic etiam fumus cum igne quem indicat consociatur. Quædam vero signa a rebus quas significant, disjuncta sunt: sic veteris Legis sacrificia, quæ Christi immolandi prænuntia erant signa, ab ipso Christi sacrificio fuerunt sejuncta.

Observandum est rem unam et eamdem posse aliud significare simul et occultare. Sic v. g. cineres calidi, quibus tegitur ignis suppositus, ignem occultant simul et indicant. Perperam igitur concludunt Calvinistæ, ab Eucharistia Corpus Christi abesse, quia Eucharistia Sacramentum est, seu signum. Species enim Eucharisticæ possunt Christi Corpus, quod sub iisdem latet, occultare simul et significare.

ARTICULUS II.

De Signis Cogitationum.

Homines ad mutuam societatem nati, in eam coire non possunt, nisi cogitationes suas sibi invicem aperiant, et varias quibus afficiuntur, perceptiones in aliis excitent. Cogitationes vero nostræ, cum nihil corporei admixtum habeant, sub sensus cadere non possunt. Quædam igitur necesse fuit institui signa, quorum ope palam facerent et mentis cogitationes, et voluntatis affectiones: aliter ceteros homines latuissent, qui corda scrutari nequeunt. Hujusmodi autem signa sunt gestus, locutio, scriptura, de quibus totidem in paragraphis dicendum est.

PARAGRAPHUS I.

De Gestu.

Gestus definiri potest sensibilis quidam corporis nostri motus vel situs, quo significare aliquid intendimus. Toto igitur corporis habitu diffusus est, et mutam veluti eloquentiam sibi vindicat. Gestibus eo clarius et expressius objecta quæ intendimus significantur, quod vel natura duce adhibeantur, vel iisdem pingantur earum actionum imagines, quibus suas affectiones exprimere solent homines. Sic naturæ quodam instinctu, inter gemitus, et clamores manum ad eas corporis partes a quibus dolent, admovere consueverunt, ut doloris sedem indigitent.

Hæc colloquendi ratio, quæ in actione potius quam in verbis posita est, apud Orientales præsertim viguit, quorum imaginatio vivida quærebat in sermone picturam. Innumera hujusmodi sermonum exempla in Prophetarum Libris occurrunt. Jeremias v. gr. collo suo vincula et juga imponit, ut futuram populi captivitatem denuntiet (*cap.* 19.). Vehemens erat hæc loquendi ratio, animosque vividius afficiebat. Nec impie cum quibusdam dixeris, symbolicas hujusmodi actiones meras fuisse fanaticorum ineptias, quorum caput fervidius incalescebat: inepti enim et fanatici hominis notam merito non incurrit, nisi qui singulari quodam ingenio præditus, inter agendum vel loquendum, a communi more omnium recedit. Nihil autem simile Prophetis objici potest. Sermo quippe in actione situs, ipsorum temporibus, et maxime apud Judæos in usu erat; fanaticos igitur se se probant ipsimet increduli, dum sacris Vatibus in crimen vertunt, quod eam agendi vel loquendi rationem usurpaverint, quæ genti suæ plurimum erat familiaris.

Atrocem hanc calumniam egregie retundit doctissimus Warburton in opere cui titulus: *Tentamen de Hieroglyphicis*.

PARAGRAPHUS II.

De Voce seu Locutione.

Vox seu locutio ceteris signis longe commodior est. Vocibus enim exprimuntur cogitationes, res cogitatæ, et variæ hominis loquentis affectiones. Præterea variis modis ita flectuntur, ut quamvis exiguo numero sint soni elementares, ex diversa tamen eorum conjunctione nascantur infinitæ propemodum compositiones, gallice *combinaisons*. Denique voces facile formantur, sine labore ab audientibus percipiuntur, loquentem ab aliis functionibus non prohibent. Ex variis illis commodis contigit, ut homines, veluti naturæ instinctu, in id consenserint, ut vocum ministerio suas cogitationes explicarent.

Vox definitur *sonus articulatus ab homine prolatus cum intentione aliquid significandi*. Dicitur 1. *sonus articulatus*, id est, per syllabas, tanquam per articulos distinctus, sicque discrepat tum a risu et gemitu, tum a confusis animalium sonis, v. g. mugitu boum, balatu ovium, latratu canum, etc. 2. *cum intentione aliquid significandi*, qua distinguitur a loquelis psittacorum et picarum, quasdam voculas temere effundentium. Dicendum 1. de variis locutionum generibus, 2. de primaria et secundaria vocum significatione.

SECTIO I.

De variis locutionum generibus.

Octo dictionum genera a Grammaticis distinguuntur, quibus humana locutio continetur, nempe, *nomen, pronomen, verbum, participium, adverbium, præpositio, conjunctio*, et *interjectio*.

De quibus singulis nonnisi raptim agendum est.

Quæres igitur 1. quod et quotuplex sit nomen?

Resp. Nomen definitur *idearum interpres*; ad eas quippe exprimendas ab hominibus institutum est. Quod apud Grammaticos *nomen* dicitur, a Logicis vocatur *terminus*, quia propositiones nominibus ut

ut agri terminis, clauduntur. Hanc v. g. propositionem, *Deus est bonus;* ex utraque parte terminant ista nomina *Deus* et *bonus*.

Multiplex est nominis divisio. Præcipuas tantum exponemus, ne Dictionarium Lectoribus ingratum et parum utile scribere videamur. 1. Nomen dividitur in *substantivum* et *adjectivum*. *Substantivum* illud est, quod rem, sive substantiam designat, ut *Deus, Angelus, homo;* vel etiam modos a substantia quam afficiunt per mentem abstractos, ut *rotunditas;* tunc enim illi modi a mente quasi in se subsistentes, concipiuntur: Nomen *substantivum* modos illos abstractos significans, dicitur *abstractum*.

Adjectivum illud est, quod modum exprimit cum ipsa re quam afficit, conjunctum. Tale est nomen *justus*, quod necessario referendum est ad subjectum aliquod in quo resideat justitia: dicitur *adjectivum*, quia solet *substantivis* adjici. Appellatur etiam *concretum*, sive compositum, quia ipsius significatio ex ideis subjecti simul et attributi componitur. Sic nomen *album* simul designat et subjectum, nempe corpus aliquod, et illius attributum sive modum, scilicet albedinem qua afficitur.

2. Nomen dividitur in *Univocum, æquivocum* et *analogum*. *Univocum* de multis dicitur juxta eamdem omnino significationem. Sic, ex. gr. nomen *triangulum* est univocum respectu omnium triangulorum singularium. Nomen *æquivocum* est illud quod multis accommodatur secundum diversam plane significationem. Hujusmodi est nomen gallicum *canon*, quod modo instrumentum bellicum, modo Legem Ecclesiasticam designat. Nomen *analogum* illud est quod multis imponitur secundum significationem, quæ nec eadem omnino est, nec plane diversa, sed tantum similis. Sic nomen *pes* est analogum respectu hominis, montis et arboris. Quamvis enim *pes* hominis, *pes* montis et arboris eamdem non habeant formam, in iis tamen agnoscenda est aliqua similitudo et analogia; siquidem in iis tribus *pes* partem inferiorem significat, quæ ceteras sustinet.

Quæres 2. quid et quotuplex sit pronomen?

Resp. *Pronomen* suam appellationem inde habet,

quod nominis vices gerat, ipsiusque loco adhibeatur. Dictionem hanc eo consilio instituerunt homines, ut fastidio occurrerent, quod afferret frequens ejusdem nominis repetitio. Quadruplex distinguitur pronomen, aliud scilicet *absolutum, ego, tu, ille*; aliud *relativum, qui, quæ, quod*; aliud *demonstrativum, hic, hæc, hoc,* et alia quæ eamdem fere significationem referunt; aliud denique *reciprocum,* id est, cujus significatio ad seipsum redit, ut, *sui, sibi*. Pronomen *relativum* ideam propositionis principalis quam afficit, aliquando explicat, aliquando restringit, ut exponetur ubi de propositione sermo erit.

Quæres 3. quænam sit verbi tum natura, tum divisio.

Resp. in eo sita est natura verbi, ut affirmationem significet, sive actum mentis duas jungentis ideas. Nullum est enim verbum quod per se negationem exprimat, sed tantummodo cum adjunctam sibi habet particulam *non*. Si tamen in verbo definiendo habeatur ratio præcipuorum, quibus afficitur, accidentium, describi poterit *vox affirmationem primario significans, simul et designans personam, numerum, tempus, et sæpe etiam aliquod attributum*. Ex. gr. in ista propositione: *Alexander vicit Darium*: verbum *vicit,* præter affirmationem, designat primo personam, nempe tertiam; 2. numerum, scilicet singularem; 3. tempus, nimirum præteritum; 4. tandem aliquod attributum, id est, *vincens*. Vox enim *vicit* idem significat, ac *fuit vincens*.

Hic nata est verbi divisio in *substantivum* et *adjectivum*. Verbum *substantivum* affirmationem significat, designatis simul persona, numero et tempore, ut in ista propositione; *Petrus est doctus*. Verbum autem *adjectivum,* præterea attributum aliquod exprimit: ex. gr. verbum *scribo,* non judicium meum duntaxat, et personam meam, numerum singularem, tempus præsens significat; sed etiam attributum aliquod, nempe *me esse scribentem,* sive characteres in charta delineantem. Verbum quodlibet est *adjectivum,* si unum excipias, nempe verbum, *sum, es, est*. Imo et ipsum aliquando fit *adjectivum,* quando scilicet *existentiam* significat, ut in ista propositione, *Deus est,* quæ ad istam revocatur, *Deus existit*.

Notat eximius Author *Artis cogitandi*, naturam verbi a quibusdam in eo male constitui, quod actionem aliquam significet; sunt enim verba, quæ nullam actionem exprimant; qualia sunt ista, *quiescit*, *existit*, *friget*, *alget*, etc. Notandum est etiam modum verbi, gallice dictum *l' infinitif*, non esse proprie verbum, sed potius nomen *substantivum* ex aliquo verbo derivatum. Sic in ista propositione, *facile est opprimere innocentem*; *opprimere* nomen est *substantivum*, de quo affirmatur aliquid.

Quæres 3. quid intelligatur vocabulis *participii* et *adverbii*?

Resp. 1. *Participium* nihil aliud est quam nomen *adjectivum*, ab aliquo verbo deductum. Ideo *participium* dicitur, quia simul et nominis et verbi naturam participat; nominis quidem, cujus ad instar et generum, et numerorum, et casuum distinctionem admittit; verbi etiam, cujus regimen sibi proprium vindicat.

2. *Adverbium* ut brevitati consuleretur, inventum est: ut scilicet unius vocis ope significaretur, quod aliter nonnisi duabus vel pluribus enuntiari posset; v. g. *prudenter*, id est, *cum prudentia*, *prudentissime*, id est, summa cum prudentia. *Adverbium* autem dicitur, quia verbo plerumque adjungitur, cujus significationem afficit; nominibus tamen aliquando consociatur. Notandum autem voces multas ut adverbia spectari, quæ vera sunt nomina, ut *postridie*, id est, postera die.

Quæres 4. quænam sit *præpositionis*, *conjunctionis* et *interjectionis* natura, quæ functiones?

Resp. 1. *Præpositiones*, sic dictæ, quod aliis vocibus præmitti sive præponi soleant, sunt voculæ, quibus rerum ad se invicem varii respectus exprimuntur; quales sunt relationes ad locum, sive in quo res constituta est, sive ad quem pergit, sive per quem transit, sive *ex* quo venit; relationes conjunctionis, ut *cum hominibus*; separationis, ut *sine nummis*; oppositionis, ut *contra hostes*; conveniéntiæ sive consensionis, ut *secundum*, *vel juxta sationem*; celeras autem relationes enumerare longius foret.

Observandum est illud linguis, tum antiquis, tum

recentioribus, vitium esse commune, cui occurri debuisset, ut scilicet relationes diversæ, iisdem, aut eædem diversis præpositionibus exprimantur. Ex. gr. apud Latinos præpositio *In* significationes propemodum innumeras admittit, unde plurimum exoritur difficultatis et obscuritatis. Tunc autem genuinus præpositionis sensus, vel ex voce quam regit, vel ex tota sermonis serie, æstimandus est.

2. *Conjunctio* est vocabulum, quo non tam ipsa cogitationum objecta, quam variæ earum species significantur. V. g. conjunctio *et* designat operationem mentis, duo vel plura secum invicem colligantis. Conjunctio *Ergo* exprimit actum mentis unum judicium ex pluribus, vel saltem duobus aliis inferentis. Hujusmodi autem particulæ ideo *conjunctiones* dicuntur, quia ipsarum ope varia ejusdem propositionis membra, quodam veluti nexu copulantur.

3. *Interjectio* vocula est, quæ a natura magis quam ab arte prodiit, ad significandos animi motus, v. gr. gaudium, dolorem, admirationem, comparata. Quædam vero sunt locutiones unicæ, vel etiam pluribus vocibus conceptæ, quæ vim interjectionis habent; quatenus scilicet nonnullos animi affectus, ut timorem, indignationem, aut desiderium significant. Hujusmodi sunt locutiones istæ: *absit! o utinam! faciat Deus!*

SECTIO II.

De primaria et secundaria Vocum significatione.

Quæres 1. utrum voces ex naturæ instituto, an vero ex hominum conventione, et res ipsas et cogitationes nostras significent.

Resp. Certum quidem est vocis organum a natura fuisse hominibus concessum, ut vocibus cogitationem aliquam exprimerent. Quod autem hæ vel illæ voces, has potius quam illas res aut cogitationes significent, non habent a natura: quo sensu non sunt, sive rerum, sive cogitationum, signa naturalia; siquidem ex se necessariam non habent cum rebus si-

gnificatis connexionem. Voces enim quæ usurpantur ad res aliquas, aut cogitationes quasdam designandas, potuissent ab hominibus ad exprimendas res alias aut cogitationes omnino diversas adhiberi. Ex. gr. vocabulum *Luna* quod planetam vulgo significat, apud Chymicos argentum denotat.

Præterea voces nullam ex iis proprietatibus habent, quæ signis naturalibus conveniunt. Signa quippe naturalia, v. g. risus, gemitus, non edocentur aut discuntur; eadem sunt apud omnes homines, omnibus et singulis nota sunt, nullique mutationi subjiciuntur: atqui nullam ex iis dotibus habent voces; variæ sunt apud varios, imo apud eosdem populos; non eædem omnibus et singulis hominibus innotescunt; diversis obnoxiæ sunt mutationibus, ab hominumque usu et arbitrio pendent. Unde Poeta:

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

Ergo etc.

Obj. 1. Ea sunt naturalia cogitationum nostrarum signa, quæ ex se rerum naturam significant: atqui quædam sunt nomina, quæ ex se, etc. Ergo, etc.

Resp. Neg. min. Si quædam enim nomina ex se rerum naturam significarent, auditis illis vocibus, sine ulla conventione prævia, omnes homines ipsarum rerum naturam intelligerent: atqui nulla sunt nomina, quibus auditis, omnes homines ipsarum etc. Ergo, etc.

Instab. Sint in exemplum nomina quæ Adamus cunctis animantibus imposuit: atqui hæc nomina ex se rerum naturam significabant; ergo quædam sunt, etc.

Resp. Neg. min. Si enim nomina singulis animantibus ab Adamo imposita, ex se rerum naturam significassent, hodiernis etiam temporibus, apud omnes terrarum populos eadem essent: signa quippe naturalia, ut gemitus, lacrymæ, omnibus populis communia sunt, atqui tamen experientia constat: hæc nomina varia esse apud varias gentes; ergo, etc.

Instab. Sic legitur (*Genes. c.* 2. *v.* 19.) *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est no-*

men ejus ; ergo nomina singulis animantibus ab Adamo indita, ex se eorum naturam significabant.

Resp. Neg. conseq. Juxta doctissimos enim interpretes, id unum probant objecta Genesis verba, nempe, Moysis ætate, apud Hebræos adhuc in usu fuisse nomina, quæ animantibus imposuerat Adamus; non vero ea ipsorum animantium naturam significandi ex se vim habuisse.

Objicies 2. Nomina saltem derivate ex se res ipsas significant. Sic nomen *triangulum* ad designandam figuram tribus angulis totidemque lateribus constantem aptius est, quam vox *quadrangulum ;* ergo nomen *triangulum* naturale est figuræ signum.

Resp. Dist. ant. Nomen *triangulum* aptius est, etc. post constitutam radicum ex quibus derivatur, significationem, conc.; ante constitutam fixamque radicum significationem, neg.

Itaque si inter homines semel convenerit de radicum significatione, ex quibus coalescit nomen *triangulum,* id est, de sensu vocis *tres* et vocis *angulus,* tunc nomen *triangulum* præ ceteris omnibus adhibendum est, ad designandam figuram tribus angulis et lateribus constantem. Postulat enim linguarum perfectio, ut similia nomina rebus similibus imponantur. Verum quo pacto fixa constitutaque fuit radicum, sive nominum primitivorum significatio? nonne ex libera et arbitraria hominum conventione? ergo nomina ex iis derivata res ipsas ex natura sua non significant.

Obj. 3. Nonnullæ sunt voces, quibus inest harmonia, ut ajunt, imitatrix: atqui hujusmodi voces naturalia sunt rerum signa; v. g. ista vox *balatus* ex se ovis clamorem significat; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Possunt quidem illæ voces esse naturalia sonorum quos imitantur, signa. Adest enim quædam proportio inter sonum in natura existentem, et sonum ab humana voce prolatum. Verum hujusmodi voces ex se res ipsas non exprimunt. Si enim ipsis alia substituerentur vocabula, facta inter homines conventione, idem remaneret sensus, eadem idea principalis, ac proinde sola tolleretur harmonia imitatrix; cui tamen in quolibet dicendi genere vel ma-

gis vel minus consulendum est; ergo voces quæ sibi adjunctam habent harmoniam imitatricem, naturalia non sunt rerum ipsarum aut cognitionum signa, sed tantummodo sonorum.

Obj. 4. Si voces ex hominum instituto, non vero ex natura sua, et res ipsas, et cogitationes nostras significarent, homines sane, antequam sermonis usum haberent, mutuas secum invicem conventiones inire debuissent, ut iisdem vocibus easdem illigarent ideas, aliique ab aliis intelligerentur: atqui conventiones illas inire non potuerunt homines, qui nondum sermonis usum adepti fuerant; sine mutuis enim collocutionibus nullæ esse possunt conventiones; ergo, etc.

Resp. 1. Neg. maj. Supponit enim humanum genus, per longum fortasse temporis intervallum, omni prorsus et societate et mutuo sermone fuisse destitutum. Id vero falsum esse patet ex Moysis Historia, quæ ceteras omnes antiquitate superat, et splendidos veritatis characteres sibi vindicat. Ex ipsius enim narratione constat primos homines e Creatoris manibus prodiisse, loquela et sermone instructos. Adamus quippe inducitur loquens cum Deo, Eva, et serpente, atque nomina ceteris animantibus imponens.

Resp. 2. Neg. min. Homines enim suis facultatibus dimissi, secum invicem convenire potuissent de illiganda quibusdam vocibus cogitationum rerumque significatione; ope scilicet gestuum, quos omnibus natura subministrat. Primum enim rem sensibus obviam aliquo gestu demonstrassent; deinde insita loquendi facultate utentes, sonis iisdem articulatis easdem ideas, sive perceptiones adjunxissent. Eorum lingua primum inops, paucissimisque constans vocibus, prout majorem cognitionum supellectilem sibi comparassent, locupletior in dies evasisset. Non ergo plane impossibile est, licet conceptu difficile, hominum societatem sibi permissam, idioma sibi fingere.

Et vero quot voces novæ et antea inauditæ, neque ex veteribus usitatis per etymologiam deductæ, singulis linguis adjiciuntur; et usu communi receptæ, pro internorum conceptuum signis ab omnibus habentur! In arte etiam qualibet nova finguntur ver-

ba: integram ergo quandam linguam potuerunt homines ex mutua conventione formare.

Inst. Esto potuerint homines objecta corporea indigitando, iis nomina imponere; at nullo modo potuissent verba instituere, quæ res spiritales significassent; illæ enim indigitari nequeunt; ergo non potuissent homines sibi dimissi idioma condere.

Resp. Neg. ant. Ad probat. distinguo, res spiritales indigitari nequeunt; sed illud minime necessarium est, ut ipsis imponantur nomina, conc. secus, neg.

Porro necessarium non est posse res spiritales digito commonstrari, ut homines nomina excogitent, et aliis communicent, quibus res illæ designentur: ad illud enim satis est, ut quandam habeant analogiam cum objectis sensibilibus, quæ ipsa indigitari possunt: atqui inter res spiritales et objecta sensibilia intercedit quædam analogia, v. g. objecti alicujus in mente repræsentatio spiritalis quandam habet affinitatem cum objecti imagine in tabella depicti.

Et vero experientia constat a matribus pueros verba discere, quæ res spiritales significent, quamvis eas indigitare matres nequeant; ergo pariter homines qui linguam vellent procudere, possent verba instituere, et aliis communicare, quæ res spiritales exprimerent, quamvis eas nequeant digito indicare.

Quæres 2. an vocibus subjiciatur *secundaria*, sive *accessoria* quædam significatio.

Resp. Præter ideam principalem, quam vox aliqua juxta primariam significationem exprimit, alias quandoque excitat, quæ *secundariæ* vel *accessoriæ* appellari solent; quod multiplicem ob causam contingit.

1. Quidem ex usu communi: Si quis v. gr. dicat alteri; *mentiris*, idem est juxta primariam significationem, ac si diceret, *loqueris aliter ac sentis*. Ad principalem autem hanc ideam ex usu vulgari accedit altera longe diversa, nempe contemptus, injuriæ. Unde fit ut illa voce, *mentiris*, magis offendi quisque soleat, quam istis, *loqueris aliter ac sentis*.

2. Ex vocis sono, specie vultus, gestu et aliis si-

gnis. Hæc enim omnia, cum personæ loquentis affectus exhibeant, propriam vocum significationem vel amplificant, vel minuunt, et aliquando immutant. Unde accidit ut eædem voces, pro diversis circumstantiis, affectus plane diversos excitent, v. g. amorem vel odium.

3. Ideæ secundariæ nascuntur ex adjunctis styli coloribus et figuris. Hinc eadem veritas stylo figurato expressa, longe vividius mentem afficit, quam sermone simplici enunciata. Sic ista sententia: *Qui potuit servare, perdere etiam potest,* multo vehementior fit apud Medeam hac exclamatione: *Servare potui; perdere an possim rogas?* Hæc etiam altera sententia: *Non adeo miserum est mori,* vim longe majorem apud Virgilium habet ex ista interrogatione: *Usque adeone mori miserum est?* non significat enim duntaxat in morte non tantum esse mali, quantum vulgo creditur; sed præterea exhibetur idea hominis animam adversus mortem obfirmantis.

COROLLARIUM.

Ex dictis sequitur quasdam esse voces turpes et obscœnas, quasdam verecundas et honestas, quamvis eadem sit utriusque vocis significatio principalis. Aliter visum est Stoicis qui, referente Tullio, nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu existimabant. Voces non dicuntur quidem obscœnæ, quia rem turpem significant; obscœnum quippe non est rem turpem enuntiare, modo id verecunde fiat, et selectis vocabulis, quæ aliquem horroris sensum excitent.

Verum idcirco vocantur obscœnæ et impudentes, quod præter rem turpem quam significant, impudentiam et protervitatem aliquam sibi ex usu adjunctam habeant. Scilicet res eadem flagitiosa per unam vocem verecunde, per alteram vero inverecunde potest enuntiari. 1. Quatenus una vox rei, quam exprimit turpitudinem honesto, et injecto quodam velo tegit; altera vero ejusdem rei infamiam modo turpi et inhonesto manifestat; 2. quatenus una vox, quæ in actionibus pudenda sunt ita exprimit, ut horrorem et indignationem moveat; et altera vox res

easdem nonnisi ad libidinem et oblectationem exhibeat. Ab improbis et perversis hominibus venit, ut quædam voces in se minime turpes, obscœnæ tamen fiant et inhonestæ, quia scilicet iis vocibus prave abutuntur ad sensumque pessimum detorquent.

PARAGRAPHUS III.

De Scriptura.

Cum vocibus suas cogitationes sibi invicem manifestare ii tantum possint, qui eodem tempore, iisdem in locis vivunt, eo pervenit humana industria, ut absentes cum absentibus, et viventes cum mortuis quasi colloquerentur. Eum in finem inventa est scriptura, de cujus origine duæ potissimum sunt apud Eruditos sententiæ. Prior eorum est, qui contendunt scripturam fuisse Moysi divinitus datam, quando suam Legem in tabulis lapideis exaravit. Posterior eorum est, qui artem illam existimant ab Ægyptiis primum inventam, deinde apud ceteras gentes decursu temporis invaluisse. Quam sententiam defendit Warburton in opere quod inscribitur, *Tentamen de hieroglyphicis*. In ipsa scripturæ origine res ipsas pingendas esse in promptu visum est: primum ergo scripturæ specimen pictura fuit, cui proinde ortum dedit cogitationes eo modo exprimendi necessitas. Hanc methodum adhibuerunt Mexicani, ut leges et annales posteritati transmitterent; propriis figuris objecta sensibilia, res vero incorporeas quibusdam characteribus maxime idoneis pingebant. Ex. gr. ut Hispanorum in regionem Mexicanam ingressum designarent, hominem exhibuerunt pileo et rubra veste spectabilem. Cum autem hæc methodus immensam voluminum multitudinem exigeret, homines deinde brevitati magis consuluerunt: itaque secunda scriptura fuit *hieroglyphica*, quæ varia fuit apud Ægyptios. 1. Assumebant præcipuam rei circumstantiam, ut tota res significaretur. Sic v. gr. ut pugnam repræsentarent, duas manus pingebant, quarum altera arcum, et altera clypeum teneret: arcus aggressionem, clypeus defensionem indi-

cabat. 2. Instrumentum *reale*, aut *metaphoricum*, loco ipsius rei substituerunt; sic oculus in extremo baculo positus Dei providentiam designabat. Rem significarunt alterius imagine, quæ cum ipsa re aliquam similitudinem vel analogiam haberet, sive ex naturæ observationibus, sive ex Ægyptiorum traditione. Sic orbem universum exhibebant sub imagine serpentis, per gyros sinuosos in seipsum redeuntis, ita ut macularum varietates stellarum multitudinem et diversitatem indicarent.

Cum autem nonnisi in immensis voluminibus contineri possent tot imagines, præcipuas tantum earundem partes brevitatis causa postea delinearunt, imo et notas magis conspicuas vel etiam quædam puncta. Hunc scribendi modum retinuere Sinenses, easque contractas notas ad octoginta usque millia multiplicarunt: cuilibet ideæ sua est propria et singularis nota.

Tandem animadverterunt homines, sermonem licet quoad ideas maxime variatum, paucissimis tamen constare sonis; inde characteres quæsierunt qui sonos illos exprimerent, pictæque scripturæ substituerentur. Hinc nata est scriptura *alphabetica*, quam nunc habemus. De illius origine variæ pugnantesque sunt opiniones. Si Græcis fides habeatur, præclaræ hujus inventionis gloria Cadmo vindicanda est, ex Phœnicia oriundo. Cui opinioni suffragatur Lucanus Poeta his versibus:

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Quam sententiam celebratis quatuor his versibus exornavit Poeta Gallicus (*Brébeuf*):

C'est de lui que nous vient cet Art ingénieux
De peindre la parole et de parler aux yeux,
Et par les traits divers de figures tracées,
Donner de la couleur et du corps aux pensées.

Probat autem doctissimus Warburton, præter characteres hieroglyphicos, notam fuisse, præsertim apud Ægyptios, scripturam *alphabeticam*, etiam ante Cadmi tempora; ita ut eo tantum sensu intelligendum sit Lucani testimonium, quod artem scribendi, jamdudum inventam, et præsertim apud Ægyptios,

sicut Phœnices usu communi receptam, Cadmus in Græciam detulerit. Hinc colligere est, quæ fides adhibenda sit famoso nostræ ætatis Scriptori, qui Pentateuchum a Moyse describi potuisse, eam ob causam negat, quod nondum inventa esset scriptura *alphabetica*. Commentum illud, cum aliis bene multis egregie et eleganter confutatum videas in Opere nunquam satis commendando, cui titulus: *Lettres de quelques Juifs Portugais et Allemands, etc.*

DISSERTATIO II.

DE JUDICIO.

Judicium duobus modis spectari solet, nimirum vel prout in mente latet, et tunc *judicii* nomen retinet, vel prout verbis expressum extra mentem profertur, tuncque dicitur *propositio*. De utroque seorsim est disserendum.

CAPUT PRIMUM.

De Judicio, prout intra mentem latet.

Quæcumque de judicio dicturi sumus, ad quinque capita revocari possunt. 1. erit de natura judicii; 2. de causa efficiente; 3. de divisione; 4. de judiciorum nostrorum *motivis*; 5. de errorum, quibus obnoxium est judicium, fontibus et remediis.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura Judicii.

Ubi mens suas ideas secum invicem comparans, aliam in alia contineri, vel ab ea excludi deprehendit, aut deprehendere sibi videtur, tunc eas vel jungit per affirmationem, vel disjungit per negationem. Sic ideam *Dei*, sive entis summe perfecti, et ideam *justi* simul conferens, percipio ideam *justi* in idea *Dei* esse inclusam, et interius pronuntio Deum esse justum; en judicium affirmans. Si vero trianguli

et quadrati ideas secum invicem contulerim, aliam ab alia repelli mens clare concipit, et affirmat triangulum non esse quadratum. Actus ille mentis utramque hanc ideam a se invicem separantis, judicium est negans.

Ex iis patet judicium nihil aliud esse quam sententiam mentis, de idearum convenientia aut repugnantia pronuntiantis. Hic vero tria in controversiam adduci solent. 1. An judicium sit actus mentis; 2. utrum actus ille sit simplex, an vero compositus; 3. an judicium ex natura sua sit affirmans; quæ omnia tribus in paragraphis expendemus.

PARAGRAPHUS I.

Utrum Judicium sit actus mentis, et quidem simplex.

Nonnulli cum Malebranchio putant judicium mente conceptum nihil aliud esse, quam relationis inter duas aut plures ideas intercedentis perceptionem, cui mens acquiescit. Ita quando judicamus bis 2. esse 4. aut bis 2. non esse 5. mens relationem percipit, sive æqualitatis quæ inter bis 2. et 4. existit, sive inæqualitatis quæ inter bis 2. et 5. interponitur; qua in veritate cognita conquiescit, nec quidquam ea de re amplius quærit.

PROPOSITIO I.

Judicium ex natura sua est actus mentis.

Prob. Judicium est actus mentis, si mens judicando agat; atqui res ita se habet. Vel enim mens agit judicando, vel conquiescit duntaxat in percepta idearum convenientia et discrepantia, atque illud posterius dici non potest. Mens quippe judicando verum aut falsum pronuntiat; atqui si conquiesceret tantummodo in cognita idearum convenientia vel discrepantia, tunc neque verum, neque falsum pronuntiaret. Quis enim dixerit meram quietem veram esse aut falsam? Ergo mens judicando non quiescit in

percepta idearum convenientia et discrepantia; ergo mens agit dum judicat; ac proinde judicium ex natura sua est actus mentis.

PROPOSITIO II.

Judicium est actus mentis simplex.

Prob. Judicium est assensus vel dissensus, affirmatio vel negatio: atqui assensus vel dissensus, affirmatio vel negatio est actus mentis simplex; quod enim dividi nequit, est omnino simplex; siquidem omne compositum potest dividi: atqui affirmatio vel negatio omnem prorsus excludit divisionem, vel tota est, vel nulla. Quis enim adeo subtilis sit, ut mediam, tertiam, quartam affirmationis aut negationis partem concipiat?

Obj. 1. Quod componitur ex ideis, non est simplex: atqui judicium componitur ex ideis; ergo non est simplex.

Resp. Neg. min. Versatur quidem judicium circa ideas, ut ipsas jungat aut separet, minime vero ex iis componitur. Judicium enim est affirmatio vel negatio: atqui neutra ex ideis componitur, quæ nihil affirmant aut negant; ergo, etc.

Inst. Ideæ sunt materia judicii; ergo ex ipsis componitur.

Resp. Dist. ant. Ideæ sunt materia, circa quam versatur judicium, conc.; ex qua componitur judicium, neg.

Re quidem vera ideæ sunt materia, circa quam versatur judicium; siquidem est actus mentis de idearum convenientia aut discrepantia pronuntiantis; ex ideis vero non componitur, quæ objectum tantummodo exhibent, et de eo nihil pronuntiant.

Obj. 2. Tale est judicium, qualis est propositio illius interpres: atqui propositio est composita; ergo et judicium.

Resp. Neg. maj. Ea enim prorsus distinguuntur, quæ diversam habent naturam: atqui judicium internum et propositio diversam, etc. Judicium enim in affirmatione aut negatione, in assensu et dissensu,

quibus nihil est simplicius, consistit; propositio vero in vocibus subjectis, attributi et copulæ constituta est; ergo, etc.

PARAGRAPHUS II.

An Judicium ex natura sua sit affirmans.

Dagoumerius plus æquo subtilitatis amans, omne judicium ex natura sua esse affirmans contendit: singularem vero hanc opinionem joculariter profecto defendit. Judicia scilicet, quæ prima fronte negantia viderentur, ita distorquet, ut affirmationis vultum et speciem induant: v. gr. judicium istud, quod negans ab omnibus creditur, *honon est lapis*, sic vertitur in affirmans: *homo est distinctus a lapide*. Si Dagoumerio hoc alterum, tanquam negans, objicias, *Deus non est crudelis*, in aliud affirmans sic convertet, *Deus non est Ens crudelitatem excludens*; et sic de ceteris. Paribus argutiis, alter Dagoumeraniæ subtilitatis æmulator, potuerit nonnisi judicium negans admittere. Sic judicium hoc affirmans *Deus est justus*, in aliud negans ita transformabit, *Deus non est Ens justitia privatum*; istud vero, *homo est rationalis*, hoc modo vertet in negans, *homo non est ens rationis expers*.

PROPOSITIO.

Judicium ex natura sua non semper est affirmans, sed datur judicium vere negans.

Prob. Judicium quod habet naturam diversam a natura judicii affirmantis non potest non esse negans: atqui datur judicium, cujus natura prorsus diversa est a natura judicii affirmantis. Etenim judicium affirmans est actus mentis assentientis: atqui datur actus mentis dissentientis, a priori omnino discrepans: nam mihi proferantur duæ istæ propositiones, *Deus est bonus, Deus est crudelis*: non eodem sane modo mens sese geret circa utramque hanc propositionem, priori scilicet adhærebit, et posteriorem rejiciet,

et quidem per actus omnino diversos; mens enim nequit duarum idearum convenientiam affirmare et negare per unum eumdemque actum, sicut non potest uno eodemque actu bonum amare et malum odisse; ergo datur actus mentis dissentientis, qui prorsus differt ab actu mentis assentientis, ac proinde judicium negans.

Objicies: Omne judicium quod dicitur negans, potest in aliud affirmans resolvi; ergo nullum est judicium ex natura sua negans.

Resp. 1. Retorqueo argumentum, omne judicium quod dicitur affirmans, potest resolvi in aliud negans. Istud v. g. *omnis homo est rationalis,* potest in negans sic converti: *homo non est ens expers rationis*. Uno verbo, si Judicia pro arbitrio transformentur, nullum erit affirmans, quod in aliud negans mutari non possit; ergo nullum est judicium ex natura sua affirmans.

Resp. 2. Dist. ant. Omne judicium quod dicitur negans, potest in aliud affirmans resolvi, sed mutato subjecto, vel attributo, concedo; remanente eodem subjecto et attributo, neg.

Porro judicium negans non potest fieri affirmans quin mutetur saltem attributum. Sit in exemplum istud judicium, *Petrus non est doctus,* quod sic converti potest in affirmans, *Petrus est indoctus,* atqui tunc mutatur attributum. In priori enim judicio attributum erat vox ista, *doctus;* in posteriori vero attributum constituitur in hac altera voce, *indoctus;* ergo in utroque illo judicio non idem remanet attributum. Ergo judicium negans verti non potest in affirmans, quin aliquam mutationem subeat saltem attributum.

ARTICULUS II.

De causa Judicii efficiente.

In assignanda mentis facultate, quæ judicii causa sit efficiens, dissentiunt Philosophi, duasque in opiniones scinduntur. Alii ad intellectum, alii ad voluntatem judicium referunt. Quod ut magis intelli-

gatur, observandum est in mente humana, quamvis simplicissima, duas distingui facultates, intellectum scilicet et voluntatem. Prior circa verum cognoscendum, posterior vero circa bonum amandum, et malum odio habendum versatur. Quibus prænotatis, sit

PROPOSITIO.

Judicium est actus voluntatis potius, quam intellectus.

Prob. Judicium est assensus vel dissensus: atqui uterque est actus voluntatis; assentire enim et velle, dissentire et nolle, sunt quid unum et idem: atqui velle et nolle proprii sunt voluntatis actus,] ergo et judicium.

Præterea actus intellectuales non alii sunt quam perceptio et cognitio: porro utramque supponit quidem judicium; quis vero illud meram cognitionem vel perceptionem dixerit? Ergo judicium ad intellectum non pertinet, ac proinde voluntatis opus est.

Denique voluntas tanquam proprium sibi vindicat quidquid voluntarium est ac liberum: atqui judicium semper voluntarium est, et quandoque liberum. Illud quippe voluntarium censetur, quod agimus cum animi propensione; id vero liberum dicitur, quod sine ulla necessitate fit: atqui judicium semper fit cum mentis propensione, et interdum etiam sine ulla necessitate. Quando enim attributum cum subjecto evidenter connectitur, vel ab eodem excluditur, tunc mens in affirmationem aut negationem fertur necessario quidem, sed libentissime. Ubi autem obscurior est illa connexio vel exclusio, tunc mens absque ulla necessitate affirmat aut negat, ut contingit in judiciis temerariis; ergo judicium semper est voluntarium, quandoque liberum; ergo voluntati adscribendum est.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Ad eam facultatem pertinet judicium, cujus est versari circa veri et falsi cognitionem: atqui

versari circa cognitionem veri et falsi, functio est intellectus; ergo ad eum pertinet judicium.

Resp. 1. Retorqueo argumentum: ad eam facultatem pertinent amor boni et odium mali, cujus est versari circa utriusque cognitionem: atqui versari circa boni et mali cognitionem, officium est intellectus; ergo ad eum pertinent amor boni et odium mali; quod sane nemo dixerit.

Resp. 2. Neg. maj. quia aliud est verum et falsum cognoscere, et aliud assentire vero et dissentire falso. Prius ad intellectum, posterius ad voluntatem referendum est. Assensus enim est approbatio, dissensus autem improbatio: atqui approbatio, utpote quidam amor, et improbatio, utpote quædam aversionis species; totidem sunt actus voluntatis proprii; ergo et judicium.

Obj. 2. Ea sola facultas judicare potest, quæ in se recipit judicii *motivi*: atqui solus intellectus in se recipit *motivum* judicii, nempe objecti cognitionem; ergo solus intellectus potest judicare.

Resp. Neg. maj. Quemadmodum enim voluntas, licet in seipsa boni cognitionem non habet, illud tamen, ex omnium consensu, potest diligere; ita etiam, quamvis in seipsa veri cognitionem non recipiat, nihilominus judicare potest.

Obj. 3. Actus voluntatis esse non potest, quod fit ea prorsus invita: atqui judicium fit aliquando, prorsus invita voluntate. Tale est illud, quod de pœnarum suarum æternitate ferunt damnati; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Nollent quidem damnati certo cognoscere pœnarum quibus cruciantur æternitatem, cum hujusmodi cognitio ipsorum augeat supplicia, sed, posita ea cognitione, voluntarie, quamvis necessario, credunt seu judicant pœnas suas æternum esse duraturas. At, inquies, vellent ab eo judicio abstinere; sed perperam illud asseritur. Id quippe solum nollent, quo certi fiunt de pœnarum æternitate: atqui id præstat sola cognitio, non judicium, quod præviam certitudinem supponit, non vero pariter; vellent igitur acerbissimam hanc cognitionem et certitudinem abesse, non autem judicium.

ARTICULUS III.

De judicii divisione.

Judicium spectari potest ratione tum subjecti, nempe facultatis judicantis; tum objecti, scilicet rei de qua judicatur; tum *motivi*, nimirum argumenti quo nititur.

Quæres 1. Quotuplex sit judicium ratione subjecti, seu facultatis judicantis.

Resp. Duplex est, *necessarium* et *liberum*. Judicium *necessarium* illud est, a quo mens nequit abstinere. Non potest v. g. sibi temperare quin judicet existere extra nos aliquid a nobis distinctum, quod corpus nuncupatur. Judicium *liberum* illud est, a quo potest mens sese continere. Ex. gr. cum ad præsentiam ignis mens afficitur sensu caloris, penes eam est non judicare, aliquam inesse igni qualitatem huic similem *sensationi* quam experimur.

Quæres 2. Quotuplex sit judicium ratione objecti spectatum.

Resp. Aliud est de rebus *in ordine ad nos*, et aliud de rebus *in ordine ad se*. Judicium de rebus *in ordine ad nos*, illud est quo non affirmatur quid sit res, sed duntaxat quid nobis appareat et videatur. Per hujusmodi judicium enuntiatur quis sit sensus noster intimus, quis præsens animæ status occasione alicujus objecti. Tale est illud: *Baculus media sui parte aquis immersus, mihi fractus apparet*. Judicium de rebus *in ordine ad se*, illud est quo pronuntiatur quid res aliqua in se sit; qualia sunt ista: *Turris est rotunda*. *Bis duo dant quatuor*. *Deus est omnipotens*.

Quæres 3. Quotuplex sit judicium ratione *motivi* consideratum.

Resp. Dividitur in *verum* et *falsum*, *certum* et *incertum*, *evidens* et *inevidens*, *probabile* et *improbabile*. 1. *Verum* est judicium, si cum re judicata consentiat; *falsum* autem si ab ea dissentiat. 2. Judicium *certum* est illud, cujus veritas ita menti innotescit, ut ipsi firmiter adhæreat. Contrarium de

judicio incerto dicendum est. 3. Judicium *evidens* illud est, quod nititur evidentia, id est, solara distincta perceptione convenientiæ aut repugnantiæ, quæ duas inter ideas intercedit. Hujusmodi est istud, *circulus est rotundus ;* secus de judicio inevidente sentiendum est. 4. Judicium *probabile* illud dicitur quod nititur ratione probabili, quæ scilicet non tantam parit certitudinem, ut mens refragari nequeat, at sufficientem, ut assentire sine temeritate possit; v. gr. probabile est ægrotantem, quem Medici sanandum esse pronuntiant, revera sanitatem esse recuperaturum.

ARTICULUS IV.

De motivis Judiciorum.

Quæres 1. quid sit *motivum* judicii.

Resp. Ratio est, quæ mentem impellit ad judicandum. Enimvero judicare nihil aliud est, quam assentire vel dissentire: atqui alterutrum a mente fieri non potest, nisi rationem aliquam habeat, propter quam assentiat potius quam dissentiat, aut vice versa. Hæc autem ratio dicitur *motivum,* quia mentem quasi movet ad assensum vel dissensum.

Quæres 2. quid sit *motivum* certum, quid incertum.

Resp. *Motivum* certum illud dicitur, quod necessariam habet cum veritate judicii, ad quod movet connexionem. Itaque in certitudinis notione duo continentur; 1. firma mentis veritati cognitæ adhæsio; 2. animi securitas, quæ omne periculum omnemque errandi formidinem excludet. Motivum *incertum* illud est, quod necessario cum judicii veritate non colligatur, nec proinde omnem errandi metum depellit.

Quæres 3. quotuplex sit *motivi* certitudo.

Resp. Triplex, nempe *metaphysica, physica,* et *moralis*. Certitudo *metapyhsica* est ea, quæ repetitur ab ipsa rerum natura et idea, ita ut in qualibet hypothesi aliter se habere non possit: v. g. hæc propositio, *totum est majus sua parte,* certa est *metaphysice.*

Certitudo *physica* dicitur ea, quæ fundatur in consuetis naturæ legibus, nec aliter se habere potest, nisi per miraculum; *physice* v. g. certum est Solem crastino die terram nostram esse perlustraturum.

Certitudo *moralis* fundatur in morali hominum constitutione, legibusque nonnullis generalibus, quibus reguntur mentes et intelligentiæ. Leges illæ revocari possunt ad commodum, indolem, amorem felicitatis, et alias hominum dotes vel mores. Regulæ, quibus regitur mundus moralis et intellectualis, non minus certæ sunt et immutabiles, quam leges quibus temperatur mundus corporeus. Sicut v. gr. ex lege gravitatis certum est lapidem in aera projectum, in terram esse lapsurum, ita ex hominum indole et moribus certo constat, hominem ratione utentem, in manifestum vitæ discrimen sese conjecturum non esse sine ullo incitamento, sive utilitatis, sive cupiditatis, sive gloriæ, etc. Certitudo igitur moralis non minor est certitudine physica, imo et metaphysica: non minus enim incredibile est hominum mores adeo inverti, ut innumeri, v. gr. testes ingenio, studiis, cupiditatibus discrepantes et locorum intervallis disjuncti sine ulla utilitatis spe, et deposito veritatis amore omnibus insito, ad persuadendum aliis factum commentitium conspirent; id, inquam, non minus incredibile est, quam mutari rerum essentias.

Idcirco triplex illa certitudo *metaphysica*, *physica*, et *moralis*, omnem pariter excludit errandi formidinem, quia principiis nititur æque necessariis et immutabilibus, et sub illo respectu æqualis est. Propterea tres illæ certitudinis species non ideo dicuntur *metaphysica*, *physica*, et *moralis*, quod altera major sit et altera minor; sed quia in diversis ordinibus versantur, seu quia principia quibus nituntur, alia pertinent ad rerum essentias, alia ad leges naturæ, alia tandem ad leges morales, quibus regi solent mentes, sive intelligentiæ.

Quæres 4. quotuplex sit motivum judicii.

Resp. Pro diversis rebus, circa quas versantur judicia, diversa esse debent *motiva*. Sex vero apud Philosophos enumerari solent, videlicet sensus inti-

mus, evidentia, sensuum relatio, testimonium hominum, memoria et analogia, de quibus totidem in paragraphis seorsim agendum. Iis appendicem subjungemus de dubitatione.

PARAGRAPHUS I.

De sensu intimo.

Sensus intimus est perceptio, qua mens de præsenti suo statu admonetur. Dicitur etiam *conscientia,* quia per sensum intimum anima præsentis affectionis, v. gr. doloris, sibi conscia est. Ubi prima impressione velut excitatur sensus intimus, tunc homo quasi vitæ sumit exordium. In eo quippe et propriæ existentiæ testimonium, et omnis voluptatis ac doloris instrumentum, et cognitionis primordia quisque reperiet. Unde qui negant in sensu intimo vim ullam et certitudinem constitui, totam vitam funditus evertunt. Quia tamen multi extitere, qui conscientiæ tribunal recusarent, et de iis etiam quæ sentirent dubitare gloriarentur, sit

PROPOSITIO.

Sensus intimus motivum est judicii metaphysice certum.

Prob. Illud est motivum metaphysice certum, quod in qualibet hypothesi necessariam habet cum veritate connexionem: atqui sensus intimus in qualibet hypothesi, etc. siquidem per eum mens decipi non posset, quin idem esset simul et non esset. Tunc enim idem esset simul et non esset, cum eædem affectiones essent simul et non essent in anima: atqui si mens per sensum intimum falleretur, jam eædem affectiones essent simul et non essent in anima. Essent quidem, cum ex hypothesi eas mens intime sentiat, quod fieri non posset, nisi in anima residerent; non essent tamen in anima, siquidem eas intime percipiendo falleretur, quod non contingeret, si animæ inessent: ergo mens per sensum intimum de-

cipi non potest, quin idem sit simul et non sit; ergo sensus intimus in qualibet hypothesi necessariam habet cum veritate connexionem; ergo motivum est judicii metaphysice certum.

Solvuntur objecta.

Objicies 1. Illud non est *motivum* metaphysice certum, quod potest ad judicium falsum impellere: atqui sensus intimus potest, etc.; ergo etc.

Resp. Neg. min. Ad judicium enim illud falsum requireretur, ut affectiones animæ, quarum habetur sensus intimus, et immediata perceptio, in anima tamen non existerent: atqui illud fieri non potest. Si enim in mente non residerent, percipi nequaquam possent. Quo pacto scilicet, et ubinam perciperentur? impossibile est igitur ut affectiones, quarum sensum interiorem, et immediatam perceptionem habet anima, in ea non existant; ergo sensus intimus ad judicium falsum movere non potest.

Inst. Ex duobus judiciis contradictoriis unum sit verum, alterum falsum necesse est: atqui sensus intimus movere potest ad duo judicia contradictoria; ergo movere potest ad judicium falsum.

Resp. Neg. min. Si enim sensus intimus impelleret ad duo judicia contradictoria, eædem animæ affectiones perciperentur simul et non perciperentur; in mente igitur existerent simul et non existerent, ac proinde idem esset simul et non esset: atqui illud absurdum esse nemo negaverit; ergo sensus intimus ad duo judicia contradictoria movere non potest.

Instabis: Hæc duo judicia, *ego caleo, ego non caleo,* sunt contradictoria: atqui sensus intimus ad utrumque illud judicium movere potest; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Præfata enim judicia nequidem sunt opposita, nedum sint contradictoria, quia in ipsis affirmatio et negatio non sunt ejusdem de eodem objecto et sub eodem respectu. Judicia quippe illa necessario feruntur de diversis affectionibus, quæ vel simul existunt in duobus hominibus, quarum una v. gr. est in Petro, et altera in Paulo; vel in eodem homine, sed diversis temporibus, aut sub

diverso respectu. Non potest enim idem homo sub eodem respectu, eodemque tempore affirmare et negare, se caloris sensus intime conscium esse.

Instab. Sit homo qui, dum igni dexteram admovet, sinistra glaciem contrectet, experietur ille simul et sensum caloris, et sensum frigoris: atqui in hac hypothesi homo ille simul et sub eodem respectu proferet hæc duo judicia, *ego caleo, ego non caleo,* sive *ego frigeo;* ergo ab eodem homine simul et sub eodem respectu proferri possunt, ac proinde vere sunt contradictoria.

Resp. Neg. min. Illa duo judicia non proferuntur ab eodem homine sub eodem respectu, quia caloris et frigoris sensus ad diversas corporis partes referuntur, alter scilicet ad dexteram, et alter ad sinistram. Idem enim est ac si diceret, *ego caleo in dextera, ego non caleo,* sive *ego frigeo* in sinistra; in præfatis ergo judiciis ne levissima quidem occurrit contradictio.

Instabis: Ex ea responsione sequeretur posse mentem diversas simul *sensationes* experiri; atqui illud impossibile est; ergo non valet responsio.

Resp. Neg. min. Nedum enim illud impossibile sit, id contra postulat intima conjunctio, quam Deus animam inter et corpus instituit. Ideo enim supremus rerum omnium Conditor mentem et corpus conjunxit, ut mens saluti corporis iuvigilaret; ac proinde necesse fuit, ut occasione motuum qui in corpore existunt, mens nonnullis afficeretur *sensationibus,* quæ ipsius vigilantiam excitarent; si plures igitur simul nostri corporis partes objectis externis commoveantur, eadem ratione necesse est ut mens humana plures simul *sensationes* experiatur.

Instabis: Mens humana diversis simul sensationibus affici non potest, quin eas experiatur vel secundum se totam, vel in aliqua sui parte: atqui neutrum dici potest; ergo mens humana diversis simul *sensationibus* affici nequit.

Resp. Neg. min. Quoad primam partem, nisi enim diversæ simul *sensationes* totam mentem afficiant, dicendum erit unam sensationem in una mentis parte et alteram sensationem in altera mentis par-

te existere; atqui posterius absurdum est. Experientia quippe et sensu intimo constat, posse mentem suas *sensationes* inter se comparare, ita ut alteram jucundam, et alteram injucundam judicet; atqui fieri non posset hujusmodi comparatio, si una *sensatio* in una parte mentis, et altera *sensatio* in altera mentis parte resideret. Tunc enim unaquæque pars *sensationem* tantum sibi propriam cognosceret, nec esset alterius conscia: ergo mens non potest diversas simul *sensationes* experiri, quin singulæ eam totam afficiant.

Instabis: Si una ex *sensationibus* totam mentem afficeret, nullus sensationi oppositæ locus relinqueretur; ergo etc.

Resp. Nego ant. Mentem enim exhibet tanquam ingentem capacitatem et diversis partibus constantem, in qua recipiuntur affectiones diversæ, et suam quæque sedem distinctam occupat: atqui illud omnino falsum est; mentem quippe humanam esse simplicem, et quarumlibet partium expertem in Metaphysica demonstrabitur; mens ergo consideranda est tanquam substantia simplicissima, ad quam diversæ *sensationes* variæque cogitationes simul veluti confluunt, absque ulla mentis ipsius divisione, quamvis modum, quo illud perficiatur, assequi non valeamus.

Objicies 2. Conscientia sæpe testatur somniantibus se multa videre et audire, quæ omnino nulla sunt; ergo tunc fallit conscientia.

Resp. Dist. ant. Quæ nulla sunt extra mentem, conc.; in ipsa mente, nego. Fateor equidem conscientiam aliquando somniantibus testari se multa videre et audire, quæ extra mentem prorsus nulla sunt; sed in mente existunt, cujus solas affectiones intimas refert conscientia; id vero sufficit ut sua ipsi constet veritas. Qui enim somniantes plurima vident et audiunt, quæ nunquam extra mentem extitere, vere tamen intus afficiuntur, et vere jucundos, ingratosve sensus experiuntur. Eos ergo non fallit conscientia; quod autem credant somniorum objecta, extra mentem reipsa existere, decipiuntur quidem, non autem sensus intimi vitio. Ea quippe quæ extra mentem sunt, nullo modo testatur.

PROPOSITIO II.

Sensus intimus prima est veritatis regula, respectu judiciorum quæ feruntur de rebus, prout se habent in ordine ad nos.

Prob. Ad primam veritatis regulam tres requiruntur dotes; 1. est necessaria cum veritate connexio, ut eam a falsitate tuto secernat; 2. est, ut sit notissima, et de ejus præsentia, cum adest certi simus; 3. ut sit ratio ultima quæ afferri possit ab homine interrogato, cur de aliqua re sit certus: atqui 1. sensus intimus necessariam habet connexionem cum veritate judiciorum de rebus in ordine ad nos; v. gr. judicium illud, *paries mihi videtur albus*, quod sensu intimo nititur, falsum esse non potest. Nam sive paries sit albus, sive non, fieri nunquam potest ut albus mihi non videatur, quando talis a me percipitur. 2. Sensus intimus est quid notissimum, cum eo nihil menti præsentius excogitari possit, et quod eam magis immediate afficit. 3. Ultima est ratio quæ afferri possit cur certi simus de veritate judiciorum, quæ feruntur de rebus in ordine ad nos; ex. g. Si quis interrogetur cur certus sit se cogitare, id unum ultimo respondere potuerit, quia scilicet cogitationis suæ sibi intime conscius est.

PARAGRAPHUS II.

De Evidentia.

Veteres evidentiam definiebant fulgorem quemdam, qui mentis assensum rapiebat. Hæc autem vaga est potius Oratoris descriptio, quam accurata viri philosophantis definitio. Evidentia rectius dicitur perceptio clara et distincta convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se. Sic evidens est bis duo efficere quatuor, quia clare et distincte percipimus convenientiam inter bis duo et quatuor.

PROPOSITIO I.

Evidentia motivum est metaphysice certum.

Prob. Illud est *motivum* metaphysice certum, quod facta quacumque hypothesi, fallere non potest: atqui quæcumque fingatur hypothesis, evidentia, seu perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se fallere non potest. Nam prorsus impossibile est idem esse simul et non esse: atqui si clara et distincta perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se nos falleret, tunc idem esset simul et non esset; eadem nimirum convenientia vel repugnantia esset simul et non esset inter ideas; esset quidem cum ex hypothesi a mente percipiatur, et prius sit rem esse quam percipi; non esset vero, cum in ea percipienda mens falleretur; ergo quæcumque instituatur hypothesis, evidentia ita necessario cum veritate devincta est, ut nunquam possit fallere; ergo *motivum* est metaphysice certum.

PROPOSITIO II.

Evidentia prima est veritatis regula respectu judiciorum, quæ de rebus in ordine ad se feruntur.

Prob. Quia evidentia omnes dotes complectitur ad primam veritatis regulam requisitas, et superius expositas. 1. Necessariam habet cum veritate connexionem, ut patet ex modo dictis. 2. Notissima est, ea quippe nihil est menti præsentius. Quid enim animæ magis intimum fingi potest, quam suæ functiones quarum sibi conscia est? Atqui evidentia, seu perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se, una est ex mentis functionibus; ergo, etc. 3. Ultima est ratio quam afferre possimus, cur certi simus de veritate judiciorum quæ versantur circa res in ordine ad se: Si quis v. g. interrogetur cur omnis definitio debeat esse clara, respondebit, quia natu-

ram rei explicat; si præterea quæratur cur oratio, rei naturam explicans, debeat esse clara, hoc erit ultimum ipsius responsum, quia illud est evidens; ergo etc.

PROPOSITIO III.

Evidentia ita est veritatis per se regula, ut suam certitudinem a veracitate *Dei non mutuetur.*

Prob. Illud enim suam a *veracitate* Dei non habet certitudinem, quo constat Deum esse summe veracem: atqui per evidentiam solam nobis philosophice constat Deum esse summe veracem. Cur enim illud confidenter asserimus, nisi quia in Dei notione ideam *veracitatis* contineri clare et distincte percipimus?

Solvuntur objecta.

Obj. 1. contra primam propositionem: illud non est metaphysice certum, quod necessariam non habet cum veritate connexionem; atqui evidentia, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. Evidentia enim nihil aliud est quam perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se: atqui hæc perceptio indissolubili quodam nexu cum veritate devincta est. Nam omnino impossibile est a nobis percipi inter ideas convenientiam aut repugnantiam, quæ non existat.

Inst. Illud necessariam non habet cum veritate connexionem, sine quo potest esse veritas: atqui veritas sine evidentia esse potest; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ut enim aliquid cum veritate sit indivulse colligatum, minime necesse est veritatem sine eo non posse existere: at sufficit ut ipsum a veritate disjungi nequeat. Veritas quidem esse potest sine evidentia; nam verissima sunt Fidei nostræ mysteria, quamvis splendido evidentiæ lumine destituta. Evidentia autem ipsa non potest a veritate sejungi ut demonstratum fuit.

Instabis alio modo: illud necessariam non habet cum veritate connexionem, quod potest competere rebus falsis: atqui evidentia potest, etc.; siquidem evidenter percipitur falsam esse hanc propositionem, *Deus est crudelis*; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Quod potest competere rebus falsis, cognitis ut veris, conc.; rebus falsis, cognitis ut falsis, neg. maj. et dist. pariter min.

Porro evidentia potest competere rebus falsis, cognitis tanquam falsis, quatenus scilicet eas velnti falsas exhibet. Falsitas enim cognita ut talis, aliquid est veri; nihil quippe aliud est quam perspecta subjecti et attributi oppositio: atqui duorum quæ reipsa inter se pugnant, oppositio est aliquid verum. Evidentia autem non potest competere rebus falsis cognitis ut veris, eo nempe sensu, quod res falsas tanquam veras repræsentet; nequit v. g. tanquam veram exhibere istam propositionem falsam, *Deus est crudelis*; quia inter ideam Dei et ideam crudelis aliqua percipi non potest convenientia, siquidem nulla prorsus existit; prius est autem aliquid esse, quam videri.

Obj. 2. Illud motivum non est certum, quod impellit ad judicia falsa: atqui evidentia, etc. ergo etc.

Resp. Neg. min. Illud enim non movet ad judicia falsa, cui subesse non potest falsitas, quin idem sit simul et non sit: atqui ex demonstratis, evidentiæ subesse, etc.

Inst. Illud motivum ad judicia falsa impellit, quod sententiis e diametro pugnantibus pariter favet: atqui evidentia, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. Si enim evidentia sententiis e diametro pugnantibus pariter suffragaretur, jam alter e contendentibus attributum cum subjecto convenire, et alter non convenire perciperet: atqui illud omnino impossibile est. Cum enim attributum subjecto convenire simul et dissentire nequeat, inter utrumque etiam percipi non possunt consensio et dissensio.

Instab. Quod omnes sibi vindicant, omnibus favet: atqui in philosophicis disputationibus omnes evidentiam sibi vindicant; ergo evidentia favet omnibus.

Resp. Dist. maj. Quod omnes jure ac merito sibi vindicant, omnibus favet, conc.; quod omnes vel merito, vel immerito sibi vindicant, omnibus favet, neg. maj dist. pariter min.

Itaque in concertationibus philosophicis omnes quidem evidentiam sibi arrogant, sub illiusque insignibus militare se gloriantur; sed necesse est ut ex iis quidam evidentiam cum falsa ipsius imagine confundant. Si ergo ideas attentius introspicere voluerint, tandem agnoscent se vel præjudiciis excæcatos, vel imaginatione delusos, vel cupiditatibus abreptos fuisse, ac proinde immerito se jactitasse quod evidentiam ducem sequerentur.

Instabis et subsumes: atqui constare non potest uter contendentium evidentiam merito vel immerito sibi vindicet: ut enim illud constet, perspectum habeatur necesse est, utrum adhibita fuerit attentio sufficiens: atqui id compertum esse nequit; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ubi enim de quæstionibus agitur, in quibus veritatis cognitionem assequi possumus, tunc certo constare potest attentionem, quæ par erat, nos contulisse. Illam quippe attentionem subsequitur vividum quoddam evidentiæ lumen, quo mens tota perfunditur, et cui resistere vel malesani est, vel pertinacis animi. Sic quisquis mentem suam illiusque operationes expendere voluerit, clare deprehendet, eam a qualibet materia necessario distinctam esse.

Obj. 3. contra 2. propositionem: Illud prima non est veritatis regula, quod non est aliquid notissimum: atqui evidentia non est, etc. ergo etc.

Resp. Neg. min. Illud quippe notissimum est, quod secum importat vividum sui sensum intimum, quo nihil est menti præsentius. Atqui evidentia semper vividum sui sensum intimum excitat; unde fit, inquit Malebranchius, ut non sine interno quodam animi cruciatu, tacitaque rationis querela, propositionibus evidenter veris assensus denegari possit, qualis est ista: *Totum est sua parte majus*.

Inst. Illud non est aliquid notissimum, de cujus præsentia certo constare non potest, atqui de præsentia evidentiæ certo, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. De præsentia enim evidentiæ certo nobis constat per sensum intimum. Evidentia quippe nihil aliud est, quam clara distinctaque perceptio convenientiæ, aut repugnantiæ idearum inter se: atqui hujusmodi perceptionem experiri non possumus, quin eam in mente nostra præsentem esse testetur sensus intimus, cujus scilicet illud proprium munus est, ut nobis referat quæcumque in mente nostra peraguntur.

Instab. De evidentiæ præsentia constare non potest, nisi vel per ipsam evidentiam, vel ope signi ab ea distincti; atqui neutrum dici potest; ergo, etc.

Resp. Neg. min. quoad primam partem: Certa enim fit evidentiæ præsentia, quatenus sui conscientiam generat, quemadmodum *sensationis* cujuslibet v. g. doloris, præsentiam habemus compertam, quatenus sensum sui intimum parit. Et vero quod mentem nostram vivide afficit, splendidoque lumine collustrat, non indiget signo a se distincto, quo constare possit ejus præsentia: atqui evidentia ubi adest, etc. Denique evidentia se habet ad mentem, cujus est lumen, sicut lux Solis se habet ad oculos: atqui lux Solis nullum requirit signum a seipsa distinctum, quo certam faciat suam præsentiam; idem igitur de evidentia sentiendum est.

Instab. Nulla res sui ipsius signum esse potest, sive per seipsam innotescere; ergo evidentia per seipsam constare non potest.

Resp. Dist. ant. Nulla res sui ipsius signum esse potest, si conscientiam sui non generet, conc.; secus, neg.

Non potest quidem res aliqua sui ipsius signum esse, et per seipsam innotescere, nisi conscientiam sui generet; ex. gr. evidentia quæ in aliis hominibus existit, sui ipsius signum esse nequit ratione nostri, quia mentem nostram immediate non afficit. Evidentia autem quæ nobis inest, sui ipsius signum est, quia menti nostræ immediate affulget, suique sensum intimum parit; necesse igitur non est ut inter mentem nostram et evidentiam interponatur signum aliquod ab ipsa distinctum.

Et vero si nihil omnino sit, quod per se innotescat, et citra aliud signum a se distinctum, nullam prorsum cognitionem certam mens comparare posset. Ut enim v. g. certum foret mihi claram adesse trianguli perceptionem, præsto esse deberet aliud signum ab ea perceptione distinctum. Cum autem signum illud per seipsum non innotesceret, ad aliud confugiendum esset a priore distinctum, sicque in infinitam signorum progressionem mens semper evagaretur; nullamque proinde cognitionem certam assequi posset, atqui tamen multa a nobis certo cognosci contra Scepticos demonstrabimus; ergo quædam admittere necesse est, quæ sui signa sint, et per se innotescant citra signum aliud a se distinctum: ea scilicet quæ, ut evidentia, sensum sui pariunt excitant.

Obj. 4. Evidentia cum abest, adesse videtur; ergo non est aliquid notissimum.

Resp. Dist. ant. Evidentia cum abest, adesse videtur, id est, judicatur, conc.; adesse sentitur et percipitur, neg. ant. Porro evidentia interdum videtur, id est, judicatur adesse, licet absens, nunquam vero sentitur aut percipitur. Cum enim fit mentis nostræ affectio, non magis eam absentem percipere possumus, quam intimo doloris sensu affici, quando nullus in mente dolor existit: atqui non possumus intimo doloris sensu, etc. ergo nec percipere absentem evidentissime.

Obj. 5. contra 3. propositionem: Nisi Deus esset summe verax, posset nos per evidentiam decipere; ergo evidentia suam a *veracitate* divina mutuatur certitudinem.

Resp. Neg. ant. Etiamsi Deus non esset summe verax, quod citra impietatem dici nequit, non posset nos per evidentiam decipere. Evidentia quippe est perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se; non posset ergo Deus nos per evidentiam fallere, nisi efficiendo ut convenientia aut repugnantia quæ percipitur inter ideas non existeret: atqui id prorsus impossibile est; siquidem prius est aliquid esse, quam percipi, prius est v. g. dolorem in anima existere, quam sentiri; ergo etiamsi fingeretur Deum

non esse summe veracem, non posset tamen per evidentiam nos decipere.

PARAGRAPHUS III.

De Sensuum testimonio.

In sensuum testimonio duo sunt accurate secernenda, sensatio nimirum, et illius relatio. *Sensationis* nomine intelligitur interna mentis affectio, quæ occasione corporum circumstantium in nobis excitatur. *Relatio sensationis* est illa propensio nobis ingenita, qua sensationes nostras ad objecta externa, tanquam ad earum occasiones, referimus.

Quæres 1. quænam requirantur conditiones, ut sensuum relatio tanquam efficax veritatis argumentum habeatur.

Resp. triplicem requiri conditionem. 1. est ut sensuum relatio cum ratione consentiat. Hujus conditionis defectu, non adhibenda est sensibus fides, quando qualitates sensibiles v. g. colores, ad corpora referunt, quasi in iis existerent; ut constans perpetuaque sit; cum ea conditione careat testimonium sensationum, quæ inter somniandum excitantur, idcirco nullius est auctoritatis; 2. ut sit uniformis, sive quod idem est, ut unus sensus alteri non contradicat. Deficiente ea conditione, decipiuntur illi, qui dolorem ad membrum amputandum aliquando referunt.

Quæres 2. an testimonia sensuum idoneam subministrent regulam, qua possimus de statu et natura corporum certo judicare.

Resp. Certa non est regula: sensus enim in iis nos sæpe decipiunt, quæ ad corporum naturam, magnitudinem, motum, distantiam, etc. pertinent. Nonne frequenti experientia constat, plurima corpora, quamvis moveantur, videri quiescere; turrim quadratam eminus conspectam, apparere rotundam; corpus e longinquo visum v. gr. Solem, exhiberi tanquam multo minorem quam revera sit, baculum in aquis immersum videri fractum? Et sic de aliis pluribus; ergo, etc.

Quæres 3. utrum ex constanti sensuum testimonio demonstrari possit existere corpora.

Resp. Ita existimant plerique Philosophi. Non desunt tamen qui huic sententiæ refragentur, inter quos eminet Malebranchius; juxta ipsius placitum, sola revelatione divina nobis constare potest existere substantias corporeas, et ratio sibi permissa propriis viribus non potest veritatem illam assequi.

Enimvero, inquit, si rem solo lumine naturali expendamus, undenam colligetur ea certitudo, quæ legitimam dubitationem excludat? possibilia quidem esse corpora percipimus. Quod autem revera existant, id a libera Dei voluntate pendet, cujus scrutari consilia nemo potest. Propensione quidem minime deliberata judicamus existere corpora; sed innatam hanc proclivitatem possumus emendare, eique obsistere, si nempe ad trutinam examinis revocetur. Itaque si decipiamur, libere decipimur, nec erroris mendaciique auctor censendus est Deus.

Præterea, pergit celebris hic Philosophus, si quæ ratio suaderet existere corpora, ex eo maxime deduceretur, quod necessaria sint corpora, ut variæ in nobis excitentur sensationes: sed falsa prorsus et commentitia est ista necessitas. Potest quippe Deus, sublatis corporibus, eodem modo mentes nostras afficere, ac si reipsa existerent corpora.

Longe audacior Georgius *Berkelei*, in Hibernia pseudo-Episcopus, existere corpora confidenter negat. In ista rerum universitate nihil, præter Deum et spiritus, admittit, in quibus Deus immediate diversas excitat tum sensationes quæ ad corpora, tamquam earum occasiones, referuntur; tum ideas quæ objecta corporea exhibent, licet extra mentem non existant. Docet mundi creationem a Moyse in Genesi descriptam, obvio sensu non esse intelligendam, quasi reipsa Deus corpora crearit; sed ita esse accipiendam, ut tunc primum a spiritibus perceptæ fuerint meræ corporum species (*apparences*). Mentem suam aperit in eleganti Opere, ex Anglico idiomate in Gallicum converso, cui titulus: *Dialogue entre Hylas et Philonous contre les Sceptiques et les Athées*. Quo consilio portentosum illud systema de-

fenderit, incertum est. Non desunt qui ipsius mentem benigne interpretentur, quasi voluerit Auctor Atheos *Materialistas* convincere, ipsis demonstrando, sublato Numine, nihil in mundi structura esse, præter vanas rerum species, inaniaque simulacra. His prænotatis sit

PROPOSITIO.

Ex relatione sensuum corpora generatim existere demonstratur.

Prob. Corpora generatim existere demonstratur ex relatione sensuum, si adjunctam habeat propensionem constantem et invincibilem, qua ferimur ad judicandum extra nos esse corpora, et si aliunde hæc propensio nequeat errori esse obnoxia: atqui hæc duo certa sunt.

Prob. 1. pars; nempe relationi sensuum conjunctam esse propensionem constantem et ineluctabilem, qua impellimur ad judicandum existere corpora.

1. Quidem illa propensio est constans, quam quisque per totum vitæ suæ curriculum experitur: atqui proclivitatem, qua pertrahimur ad credendum existere corpora, quisque per totum vitæ suæ stadium in se deprehendit. Unicuique enim nostrum testatur recordatio, sibi vel a teneris insitam esse hanc propensionem, et corporum existentiam ut certam se habuisse, statim ac sensationes expertus fuit. Eamdem persuasionem in unoquoque nostrum etiamnum vigere refert sensus intimus; ergo 1. firma et constans est propensio, quæ nos movet ad credendum existere corpora.

2. Non minus est invincibilis. Hæc enim propensio vim habet ineluctabilem, cui omnes parent homines: atqui huic naturæ impulsioni, qua credimus existere corpora, omnes obsequi homines satis probat ipsorum agendi ratio. Omnes quippe, ut quotidie videmus, sese gerunt quasi existerent corpora. Præterea quisquis suam conscientiam interrogaverit, is facile deprehendet ingenitam hanc proclivitatem menti suæ altius esse impressam, quam ut eam e-

evellere possit, quantumlibet contendat et colluctetur. Ipsimet Philosophi, qui corporum existentiam acrius impugnant, si ingenue loqui velint, procul dubio confitebuntur se eam propensionem prorsus exuere nunquam potuisse, nec ipsi fidem abnegare. Quis enim, quoties fame, siti, aut dolore aliquo se affectum sensit, in istud judicium invitus non erumpat? *Corpus habeo, cujus hæc vel illa pars est doloris, quem experior, occasio;* vel, *extra me sunt corpora quæ in meum agunt, et quorum occasione doleo;* ergo 2. invincibilis est, aliunde et constans animæ inclinatio, qua ferimur ad pronuntiandum existere corpora.

Prob. 2. pars, nimirum hujusmodi propensionem non esse errori obnoxiam. Ad removendum enim ab ea quodlibet erroris periculum, duo sufficiunt; 1. ut ab ipso Deo nobis impressa fuerit; 2. ut Deum auctorem habere nequeat, quin necessario cum veritate conjuncta sit: atqui hæc duo certa sunt.

1. Quidem quæ nobis inest invicta proclivitas ad judicandum existere corpora, suam ab ipso Deo trahit originem. A quo enim alio possit oriri? an ab ipsis corporibus? sed ea existere negant adversarii, et præterea in mentem, utpote spiritualem, per se agere non possunt. An a mente nostra? sed nullam ex se habet cum corporibus affinitatem, et aliunde sibi conscia est se non posse propensionem, de qua hic agitur, cohibere et exuere. An tandem ab alio spiritu creato? at spiritus ille ejusdem esset naturæ ac mens humana. Ergo neque a corporibus, neque a mente nostra, neque ab alio spiritu creato proficiscitur constans et insuperabilis propensio, qua impellimur ad credendum existere corpora; superest igitur ut Deum solum auctorem habeat.

2. Hæc a Deo esse non potest, quin necessariam habeat cum veritate, id est, cum existentia corporum, connexionem: non posset enim nos decipere, quin error ille in Deum merito refunderetur: siquidem ipse nobis hanc indidit propensionem, quæ invitos etiam nos rapit ad judicandum existere corpora, imo nos ita falleret Deus, ut nulla superesset erroris detegendi via. Non alia quippe assignari pos-

set, quam vel ideæ nostræ, vel sensus intimus, vel divina revelatio: atqui nihil horum dici potest; non ideæ nostræ; possibilia enim esse corpora nos tantum edocent, non vero utrum existant, necne: idea quippe corporum neque includit, neque excludit ipsorum existentiam; non sensus intimus, cum ea tantum nobis testetur, quæ intra mentem nostram existunt; non tandem revelatio divina, seu fides, quæ, nedum certiores nos faciat non existere corpora, ea potius supponit; *fides* enim *ex auditu*, inquit Apostolus; ergo si nos deciperet propensio, qua invicte pertrahimur ad judicandum existere corpora, Deus ipse nos fallere merito censeretur, et ita quidem, ut nullam nobis viam relinqueret ex errore emergendi.

Præterea si nos deciperet eadem propensio, id est, si nulla existerent corpora, læderetur summa Dei sapientia. Hæc enim postulat ut Deus nihil hominibus concedat, quod iis omnino sit inutile, utque nihil agat seipso indignum: atqui in adversariorum opinione, 1. Deus hominibus aliquid concederet prorsus inutile. Cujus enim utilitatis esset propensio invincibilis nobis a Deo insita, ad judicandum existere corpora, si nulla creaverit? ut quid in nobis excitat luminis et colorum *sensationes*, si nulla extra nos sint corpora quæ conspici possint, et a se invicem discerni debeant? ut quid famis et sitis impressiones, si nullum sit corpus nutriendum? ut quid sensus doloris, frigoris, caloris, etc., si nullum sit corpus conservandum? 2. Deus faceret aliquid seipso indignum, si nulla existerent corpora. Quam enim hominibus dedit, propensio nobis perpetuo illuderet; sic scena quadam mimica semper versaremur; vanam tantum corporis larvam nobis donasset; mendacia duntaxat urbium, domorum, parentum, amicorum, etc. simulacra nobis exhiberet: quantum vero hæc omnia Deo indigna sint, nemo non intelligit. Errori igitur obnoxia esse non potest propensio constans et invincibilis, quæ sensuum relationi conjuncta est, et cujus insuperabili impetu rapimur ad judicandum existere corpora; ergo ex relatione sensuum demonstratur corpora generatim existere.

COROLLARIUM I.

Ergo minime necesse est ad revelationem cum Malebranchio confugere, ut demonstretur existere corpora.

Ad revelationem non opus est recurrere, ubi sufficit sensuum relatio: atqui, ex superiori propositione, ad demonstrandam corporum in genere existentiam sufficit relatio sensuum, conjuncta cum invincibili et constanti propensione a Deo nobis insita, quæ nos etiam invitos pertrahat ad judicandum existere corpora; ergo, etc.

Et vero quod ad revelationem provocat Malebranchius, ipsa revelatione refellitur. Cum enim Christus ex mortuis redivivus, sese Discipulis conspiciendum præbuisset, et ipsi dubitarent utrum verum Christi corpus cernerent, sic eos alloquitur: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. (*Luc.* 24. *v.* 39.) Quibus ex verbis manifestum est sufficere sensuum relationem, ut existere corpora demonstretur, siquidem hanc præsertim adhibet Christus, ut Discipulis certam faciat sui corporis præsentiam.

Præterea si homines et corpora existere, revelatione tantum divina constiterit, ut contendit Malebranchius, nostram fidem nutare necesse est; sensuum quippe testimonio nititur. *Fides enim ex auditu*, inquit Apostolus, *auditus autem per verbum Christi*. (*Rom.* 10. *v.* 17.) Sensuum scilicet ministerio comperta fuit veritas miraculorum, quibus inconcussa stat Religio Christiana: si ergo semper periculum sit ne sensuum relatio nos decipiat, in fide et in Religione nostra nihil erit certi, nihil explorati: dubium erit an Christus extiterit, an miracula patraverit, an quidpiam homines docuerit, an fuerint Apostoli et Martyres, qui Evangelium prædicaverint, suaque morte firmaverint; dubium erit an sacri Codices quos tanquam verbum Dei scriptum tantopere veneramur, non sint deceptæ imaginationis vana phantasmata, etc.

COROLLARIUM II.

Ergo certo judicamus multa particulatim existere corpora.

Ex dictis enim errori subjacere non potest judicium, ad quod insuperabiliter nos rapit relationi sensuum conjuncta propensio constans et invincibilis: atqui ineluctabilis quædam proclivitas, sensuum testimonio indivulsa, et naturæ impetus nos impellit ad credendum existere multa particulatim corpora; existere v. g. corpus quod nostrum est; existere eorum quibuscum vivimus; existere Solem et Lunam, aliaque objecta sensibilia, quibus veluti circumcingimur, et quorum veritatem testatur constans sensuum relatio; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Illa propensio Deo non est adscribenda, quæ a præjudiciis ortum ducit: atqui ita se habet propensio, qua corpora existere creditur. Id quippe asserimus, quia corpora videmus, audimus, tangimus: atqui hæc ratio merum est præjudicium; Deus enim posset easdem impressiones nostris in mentibus excitare, licet corpora non existerent.

Resp. Neg. min. Illa enim propensio suam a præjudiciis non traxit originem, quæ est universalis, naturalis et invincibilis: atqui triplici hac dote gaudet propensio, quia judicamus aliqua corpora extra mentem existere. 1. Est universalis; ex hominibus enim nullum reperias, cujus in mente non vigeat. 2. Naturalis est; ejus enim latet origo, a teneris nobis inseritur, crescentibusque annis crescit atque confirmatur. 3. Invincibilis est; conscii quippe sumus eam nos a mentibus nostris non posse evellere, quantumlibet conemur; ergo non præjudiciis, sed auctori Deo est adscribenda.

Præterea nisi a Deo fuisset mentibus nostris impressa, propriis nunquam viribus existere objectum aliquod corporeum suspicari potuissemus. *Sensatio-*

nes enim quibus afficimur, nihil cognationis, nihil affinitatis habent cum objectis, ex quibus tanquam occasione, nascuntur. Id unum scilicet nos edocent, quod in nobis peragitur. Sensus frigoris v. gr. experior, cumque ipsum invitus perpetiar, ad summum conjicere possum, quamdam esse causam exteriorem, quæ mihi ingratam hanc impressionem immiserit; an vero corporea sit, id sibi relicta ratio numquam explorabit; solus ergo instinctus a divino Numine impressus corpora circumposita nobis indigitare potest.

Obj. 2. Propensio nobis a Deo insita, qua inducimur ad judicandum existere corpora, nihil probat, si non sit *invincibilis*: atqui non est hujusmodi, eam quippe exuere vel saltem emendare penes nos est, ut nonnullis suadetur argumentis: ejusmodi enim propensioni cæcam fidem non adhibendam esse monet ratio. Docet nimirum possibile esse ut corpora non existant; docet præterea inutile esse ut existant; namque ad summum esse possent *sensationum* nostrarum occasiones: atqui Deus, sublatis occasionibus, id præstare potest quod, iisdem intervenientibus, præstaret.

Resp. Neg. min. Quod primo loco dicitur, nimirum possibile esse ut non existant corpora, facillime solvitur. Si quis enim probitatis fama conspicuus mihi referat mortuum esse Regem, an quia monet ratio possibile esse, ut Rex vivat, ideo denuntianti fides erit abneganda? Regem profecto e vivis sublatum esse credam, si neque deceptum, neque deceptorem esse mortis hujus nuntium mihi constiterit. Exemplum autem illud præsenti argumento maxime est accommodatum. Absolute quidem fieri posset ut oculis nostris observarentur meræ corporum species, inaniaque simulacra; at Deus propensione naturali nos docet rem ita non esse; cum ergo nec falli, nec fallere possit, ipsius voci fidendum est, et omni repulsa cunctatione, obtemperandum.

Quod secundo loco fuit oppositum, scilicet inutilia esse corpora, id fictitium est gratisque assertum. Quamvis enim substantia corporea non esset *sensationum* nostrarum occasio, non idcirco eam nullum

ad finem ordinatam esse pronuntiandum foret. Quis enim Dei consilia novit, ejusque sapientiæ arcana perscrutatus est? et vero si corpora ea tantum mente condidisset, ut splendidius suam manifestaret omnipotentiam, nonne dignissimum finem sibi proposuisset? an inutilis dici posset aspectabilis hujus mundi creatio?

Denique argutiis iis similibus quas objiciunt adversarii, convelli posset omnis certitudo. Sic v. g. incertum efficeretur, utrum singuli homines mente rationali polleant. Namque id ita esse, ingenita quadam propensione ducti credimus. Jam vero proclivitatem hanc emendare facillimum est; 1. enim dictat ratio naturalis possibile esse ut mera automata eosdem motus, easdem operationes exequantur, quas ipsi homines perficiunt. 2. Inutile est mentem singulis hominibus impertiri: Mens quippe illa esset duntaxat motuum, qui in corpore sibi conjuncto excitarentur, occasio: atqui Deus sublatis occasionibus, idem potest efficere quod earum interventus efficit; ergo prorsus incertum est an sua sit singulis hominibus mens rationalis. En præcipitium quo ducit adversariorum argumentatio.

Ins. Tam libere judicamus existere corpora, quam libere pronuntiamus inesse corporibus *sensationes* v. g. caloris in igne, odoris in floribus: atqui liberum est posterius; ergo et prius.

Resp. Neg. maj. si enim ad ipsam *sensationis* naturam depositis præjudiciis attendamus, facile erit deprehendere, *sensationem*, sive impressionem in nobis excitatam, neque in corporibus, neque in sensuum organis, sed in ipsa mente sedem habere; nitatur autem aliquis, quantum libuerit, sibi persuadere dubiam esse corporum existentiam, nunquam illud assequetur; sed in istam sibi congenitam opinionem, nempe existere corpora, ipso veluti naturæ pondere relabetur. Liberum igitur non est judicium, quo pronuntiamus existere corpora, ab eoque maxime discrepat, quo *sensationes* nonnullis corporibus affingerentur.

Præterea non constat quemquam esse, qui credat colores et calorem, pro mentis affectionibus sumptos,

in objectis corporeis existere. Id negat sua in Logica *Buffier*, cujus ista sunt verba: *J' ai admiré souvent, que Descartes et Malebranche, avec leur Sectateurs, fissent valoir comme une rare découverte de leur Philosophie, que la chaleur étoit dans nous-mêmes, et non dans le feu; au lieu que le commun des hommes trouvait que la chaleur étoit dans le feu aussi bien que dans nous-mêmes .... De quoi s' agit-il? uniquement de l' imperfection du langage, qui cause une idée confuse par le mot de* chaleur, *ce mot exprimant également deux choses, qui, à la vérité, ont quelque rapport ou analogie, mais qui sont cependant très-différentes; savoir premiérement, le sentiment de chaleur que nous éprouvons en nous; secondement, la disposition qui est dans le feu, à produire le sentiment de chaleur. Mais; encore une fois, la chose était-elle aussi importante que l' ont voulu faire croire les Philosophe nouveaux? et y a-t-il jamais eu sur ce point un véritabile erreur dans le monde? Qui des plus grossiers a jamais jugé qu' il y avoit dans le feu un sentiment de chaleur, tel qu' il est en nous?*

In proposita igitur objectione immerito tanquam certum supponitur, homines corporeis objectis sensationes attribuere, his similes quas experimur.

Obj. 3. In multis, et quidem necessario, errant amentes, febricitantes, somniantes, dum judicant quædam existere corpora, quæ tamen neque sunt, neque unquam fuerunt; ergo pariter fieri potest ut necessario errent homines, dum existere corpora judicant.

Resp. Neg. conseq. Quamvis enim in errore necessario versentur pauci quidam homines, scilicet amentes, febricitantes, somniantes, inde inferre non licet decipi posse omne genus humanum, dum ex invicta propensione judicat existere corpora. Error enim particularis, qualis est in amentibus, febricitantibus, et somniantibus, plerumque per statum subsequentem emendatur. Præterea totum ordinem physicum non invertit; sed duntaxat haberi debet tanquam phœnomenum, cujus novitas spectantium animos salutari quodam terrore commovet, suæque

infirmitatis admonet. Contra vero, si Deus fallaci et ineluctabili propensione omne genus humanum deciperet, nihil aliud intendere videretur, nisi ut omnes et singulos homines in errorem perpetuum et necessarium pertraheret; præterea physicum ordinem sus deque verteret, suamque *veracitatem*, quam tamen abnegare non potest, prorsus abjiceret.

Inst. Tam Deus, illæsa sua *veracitate*, errorem perpetuum et universalem permittere potest, quam errorem transitorium et particularem: atqui posterius admittere cogunt amentium et febricitantium exempla; ergo et prius concedatur necesse est.

Resp. Neg. maj. Potest quidem Deus ordini a se constituto interdum derogare, propter rationem modo expositam, et alias quas solus novit, neque hominibus revelavit. Hac enim agendi ratione supremum, quo pollet in suum opus, dominium manifestat: verum quis affirmare ausit posse Deum curam rerum humanarum sic abjicere, ut omnes omnium temporum et locorum homines circa corporum existentiam invicte decipiantur? Nonne, si ita se gereret, oblitus videretur suæ sapientiæ ac *veracitatis*, quas tamen necessario diligit, ut confitetur Malebranchius?

Inst. Probando majorem et paritatem: Ideo non potest Deus omne genus humanum circa corporum existentiam decipere, quia sensationes nostras comitatur propensio insuperabilis, vi cujus eas ad externa quædam corpora, tamquam ipsarum occasiones, referimus: atqui eamdem propensionem adjunctam habent sensationes amentium, febricitantium, et somniantium; ergo valet paritas negata.

Resp. Neg. min. Nam 1. non adeo compertam habemus amentiæ, somniorum et deliriorum naturam, ut asserere possimus, homines in eo statu constitutos propensionem quamdam nostræ similem experiri. Hujusmodi homines non clare quidquam et distincte percipiunt, sed potius confuse imaginantur; eamque ob causam impressiones quas patiuntur, neque constantes videntur, neque cohærentes.

2. In statu vigiliæ sensu intimo cognoscimus, nos posse attentionem nostram ad hoc vel illud

objectum pro nutu convertere, eamque sustinere, donec explorati fuerint rerum diversi respectus: contra vero in somniis, variæ quidem cogitationes menti nostræ obversantur: verum attentionem nostram non possumus ad hoc vel illud objectum pro arbitrio convertere, nec diversas rerum facies, quantum satis est, expendere; at imaginatio, sopita ipsius moderatrice ratione, quocumque rapuerit tempestas, defertur; amentes igitur, somniantes, delirantes longe aliter comparati sunt, quam ceteri homines; nec eamdem omnino videntur propensionem experiri, quam in semetipsis alii homines deprehendunt.

Obj. 4. cum Berkelei Philosopho Hiberno: Existere corpora non possunt, nisi in ipsis existant qualitates sensibiles: atqui istæ potius in mente nostra, quam in corporibus sedem habent; ergo non existunt corpora.

Resp. Dist. maj. Existere corpora non possunt, nisi in ipsis existant qualitates sensibiles primariæ, conc. maj.; secundariæ, neg. maj.: dist. pariter minor. et neg. conseq.

Itaque duplicis generis sunt qualitates sensibiles, nimirum primariæ et secundariæ. Primariæ sunt extensio, motus et figura, quæ in ipsis corporibus existunt. Qualitates secundariæ sunt impressiones quædam in nobis occasione rerum sensibilium excitatæ, v. gr. sensationes caloris et frigoris, sonorum, colorum, odorum. Fatemur quidem qualitates secundarias ipsis corporibus minime inesse; nihil quippe aliud sunt, quam sensationes, quæ nec in objectis externis, nec in sensuum organis, sed ipsa mente sedem habent, ut ostendemus in Metaphysica. Verum qualitates primariæ, scilicet extensio, motus et figura, in ipsis corporibus resident, non in mente nostra. Mens quidem in se recipit spiritales extensiones, motuum et figurarum imagines, sive ideas: sed nequaquam dici potest extensa, mobilis, figurata. Unde fit ut nostram extensionis ideam ad objectum aliquod extra mentem existens, naturali quodam invictoque judicio referamus; ergo qualitates sensibiles primariæ in ipsis corporibus existunt.

Inst. et subsumes: Atqui primariæ etiam qualitates in ipsis corporibus non existunt, sed intra mentem nostram: illud enim in ipsis corporibus non existit, quod modo majus, modo minus videtur, quamvis nullam subierit mutationem: atqui eadem extensio modo major, modo minor videtur, etc. ergo extensio, etc.

Resp. Neg. maj. Demonstrant enim Physici eamdem extensionem nunc majorem nunc minorem ideo videri, quia in oculi nostri fundo depingitur sub imagine modo majore, modo minore, prout objectum magis vel minus remotum est, ipsumque visus organum bene vel male comparatum. Verum extensio ratione sui spectata, semper eadem remanet, quanquam in diversis circumstantiis diversas exhibeat species (*apparences*).

Inst. Probando maj. Ex eo quod aqua tepida eidem homini calida simul et frigida videatur relative ad diversas corporis partes, merito colligitur calorem et frigus, non in aqua, sed in mente nostra residere; ergo pariter ex eo quod eadem extensio in diversis circumstantiis major aut minor appareat, concludere licet eam in ipsis corporibus non existere, sed in mente nostra.

Resp. Neg. conseq. et par. Ratio discriminis est, quia repugnat eamdem aquam, sine ulla sui mutatione, calidam esse simul et frigidam: contra vero potest eadem extensio variis in circumstantiis major aut minor videri, quia prout magis vel minus ab oculis distat, major vel minor est ipsius imago in visus organo delineata. Qua de re consentiunt omnes Physici.

Inst. Non minus repugnare videtur, mentem nostram esse calidam aut frigidam, quam extensam, mobilem, figuratam: atqui tamen non obstat apparens hæc repugnantia, quominus calorem et frigus in mente nostra collocemus; quidni ergo pariter in eadem mente extensionem, motum et figuram reponamus?

Resp. Dist. maj. Non minus repugnat mentem nostram esse calidam aut frigidam, quam, etc., si caloris et frigoris nominibus intelligatur quædam

partium dispositio, qua corpus quod dicitur calidum aut frigidum, in aliud corpus agere possit, conc. maj.; si caloris et frigoris nominibus ipsa intelligatur sensatio caloris et frigoris, neg. maj. dist. pariter min.

Eadem distinctione utendum est, ubi de ceteris qualitatibus secundariis agitur, v. g. lumine, coloribus, sonis, odoribus. Omnes illæ impressiones quamdam in corporibus arguunt partium dispositionem, quæ menti nostræ, utpote spiritali, affingi non potest.

Obj. 6. In plurimis nos decipiunt sensus; v. gr. turrim quadratam eminus conspectam repræsentant veluti rotundam; baculum in aquis immersum, tanquam fractum exhibent, qua parte aquis immergitur; Solem et Lunam referunt veluti unius pedis disco non majores, stellas vero punctis lucidis adæquant; ergo sensibus nulla fides adhibenda est.

Resp. Dist. ant. In pluribus nos decipiunt sensus, quia non adsunt conditiones requisitæ, conc. ant. secus, neg.

Itaque, ut jam diximus, sensuum relationi tuto confidere non possumus, nisi constans sit, uniformis, ita ut unus sensus alteri non contradicat, et rationi consentanea: porro in allegatis exemplis desunt quædam ex illis conditionibus. 1. Sensuum relatio, quæ turrim quadratam eminus visam repræsentat veluti rotundam, non est constans et uniformis: pugnat enim cum alterius sensus testimonio, eoque emendatur: namque si propius ad turrim accedamus, si eam manu contrectemus error facile deponetur. 2. Si tangamus baculum in aquis immersum, illico deprehendemus ne minima quidem in parte sub aquis depressa esse inflectionem; sensuum igitur relatio, quæ illum baculum exhibet fractum, non constans est, alteriusque sensus testimonio corrigitur. Utriusque illius phœnomeni causas exponere Physicorum est. 3. Quod referunt sensus de apparenti Solis, Lunæ, et stellarum magnitudine, tum notissimis observationibus, tum evidentibus analogiis omnino confutatur; istæ igitur relationes cum ratione non sunt consentaneæ, in allegatis ergo sensuum testimoniis desunt conditiones requisitæ.

Obj. 6. Infidelis cui objicitur Hostia consecrata, necessario judicat adesse panem, dum tamen adest ipsum Christi Corpus; ergo sensuum relatio, etiam omnibus vestita conditionibus, potest in errorem necessarium nos inducere.

Resp. Dist. antec. et illud contingit præter consuetum naturæ ordinem, conc. ant.: servato naturali ordine, neg. ant.

Itaque error, de quo hic agitur, necessarius quidem est: imo infidelis iste Doctrinam Catholicam, ut supponimus, invicte ignorans, nullum in præsenti casu errorem nec suspicatur, nec suspicari debet, quia sensus muneri suo non defuerunt. Verum quid inde concludunt adversarii? Nonne certitudo relatione sensuum innixa ejus naturæ est, ut per miraculum possit exceptionem aut derogationem aliquam admittere? alioquin ejusdem esset generis ac certitudo metaphysica. Qui igitur difficultatem hanc proponunt, in illud sophisma incidunt quod vocatur *transitus a genere in genus:* ad impugnandum enim testimonium, quod in ordine tantum naturali firmum est et inconcussum, exemplo utuntur supra naturalem ordinem posito.

Inst. semper timendum est, ne Deus consuetis naturæ legibus per miraculum derogaverit, aut derogaturus sit; ergo ex relatione sensuum nihil certo concludi potest.

Resp. 1. Neg. ant. Deus enim summe sapiens legibus naturalibus nec semper, nec sine ratione sufficienti derogat. Præterea miraculum continuum et universale jam desineret esse miraculum: omnis enim derogatio legibus naturæ facta, eas existere supponit; non existerent autem, si perpetuo et universali miraculo earum cursus inhiberetur.

Resp. 2. Dist. consequens: Ex relatione sensuum nihil certo concludi potest certitudine metaphysica et absoluta, conc. conseq.: certitudine physica, et hypothetica, neg. conseq.

Porro quod physice certum est, ab ista conditione pendet, ut Deus legum naturalium, quarum auctor et Dominus est, ordinem servaverit: fatentur enim

omnes Philosophi Christiani certitudinem physicam per miraculum posse mutari.

PARAGRAPHUS IV.

De hominum testimonio.

Cum singuli homines omnibus et locis et temporibus præsentes esse nequeant, et aliunde sensus non omnia referant, sæpe sæpius necesse est hominum testimoniis confidere. Plura enim sunt quæ certo cognoscere nostra maxime interest, et quorum cognitio non potest nisi ex hominum relatione obtineri. Non alio ex fonte derivatur factorum, quæ propriis non vidimus oculis, notitia et certitudo. Hujusmodi vero factis tota nititur societas civilis et ipsa Religio. Utriusque igitur hostes habendi sunt quidam Deistæ, qui contendunt nunquam tantam esse humani testimonii auctoritatem, ut omnem errandi formidinem excludat. Id autem quid aliud est, quam generale circa facta dubium intrudere?

Ut dilucidum in tractando tanti momenti argumento instituamus ordinem, paragraphum istum quatuor in sectiones partimur. In 1. necessarias quasdam notiones præmittemus. In 2. universalem circa facta historica pyrrhonismum profligabimus. In 3. quænam circa facta naturalia. In 4. quænam circa facta supernaturalia, sive miracula, sit humani testimonii auctoritas, expendemus.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur necessariæ quædam notiones.

Duo complectitur humanum testimonium, nimirum facta quæ referuntur, et testes a quibus asseruntur. De utrisque nonnulla sunt exponenda.

Quæres igitur 1. quotuplicis generis sint facta.

Resp. 1. Alia sunt *coæva*, quæ scilicet eorum quibus narrantur, ætate peracta sunt; alia *præterita*,

quæ nimirum eorum quibus referuntur, ætatem præcesserunt. 2. Quædam facta dicuntur *privata*, quæ paucos tantum habent testes, quædam vero *publica*, quæ palam et coram frequenti populo contigere. 3. Facta sunt gravissimi momenti, quoties aliquid eximii præ se ferunt, vel cum rebus magni ponderis colligata sunt; secus dicuntur esse levis momenti. 4. Facta præjudiciis favent, vel adversantur. Favent, quando hominum studiis aut pristinis opinionibus accommodata sunt. Hujusmodi sunt facta, ex quibus patria, familia quoddam decus mutuaretur. Præjudiciis adversantur, quando a communi hominum sensu et utilitate aliena sunt. 5. Facta alia sunt clara et obvia, quæ nimirum ab omnibus statim percipiuntur; alia obscura, quæ scilicet nec statim, nec perspicue innotescunt. 6. Facta vocantur *naturalia*, ubi solis naturæ legibus consentanea sunt; *supernaturalia* vero sive miracula, cum fieri non potuerunt, quin consuetis naturæ legibus fuerit derogatum.

Quæres 2. quotuplicis generis sint testes.

Resp. 1. Testes vel sunt *oculati*, quando factum ipsi perspexere: vel *historici*, cum factum referunt quod ab aliorum auctoritate acceperunt. 2. Testes historici aliquando sunt factis *coævi*, ubi eadem ætate vixerunt, qua extiterunt facta ab ipsis memorata: aliquando sunt iis *posteriores*, si nempe facta referant, quæ peracta sunt antequam ipsi vixerint. Notandum etiam factum vel ab iis accipi qui ipsius testes oculati fuerunt, vel ab aliis qui factum quidem non perspexere, sed ab ipso teste oculato, vel ab aliis didicerunt.

SECTIO II.

Confutatur universalis circa facta historica Pyrrhonismus.

Extitisse homines qui factis historicis fidem non esse adhibendam contenderent, docet experientia; fuisse autem qui omnibus ex animo dubitaverint, non libenter crediderim. Vaferrimus *Bayle* qui incredulis, quantum potest, arma subministrat, undequaque

argumenta corrasit, quibus certitudinem historicam labefactare conatur: iisdem non parum favet Pater *Hardouin*, qui post immensos in antiquitate scrutanda exhaustos labores, eo delirii pervenit, ut in veteri historia nihil certi habuerit.

PROPOSITIO.

Prorsus rejiciendum est generale de factis historicis dubium.

Prob. Dubium illud rejiciendum est, quod uniuscujusque hominis iudoli et naturæ repugnat; quod principiis homini congenitis adversatur, quod Religioni, societati et privatis hominibus plurimum detrimenti afferret: atqui omnibus his vitiis laborat Pyrrhonismus historicus.

Prob. 1. pars, nempe repugnare hominis indoli et naturæ Pyrrhonismum historicum: eo namque posito, nulla erit factis præteritis fides adhibenda: atqui tamen ita sunt a natura comparati homines, ut a credendis quibusdam factis præteritis sese continere non possint. Quis enim serio dubitet sæculo XVI. in Galliis exarsisse bella civilia? Quis dubitet extitisse Henricum Magnum? Quis lugendam dilectissimi illius Principis mortem in dubium revocaret? Eo firmius hujusmodi factis assentiunt plerique homines, quod eorum captui sint magis accommodata, a sophisticis ambagibus expedita. Quascumque enim argutias congerat Sophista, nemini, quantumvis rudi, suadere poterit non extitisse v. g. Ludovicum XVI. Hominum igitur naturæ et indoli maxime consentaneum est, fidem quibusdam factis adhibere; ergo 1. etc.

Prob. 2. Pars, scilicet Pyrrhonismum historicum principiis homini congenitis adversari: hæc quippe sunt omnium mentibus insita principia, 1. plurimos testes oculatos non posse circa factum sensibilem et obvium decipi; 2. innumeros homines tempore, loco, moribus, studiis, præjudiciis a se invicem disjunctos, nulla utilitatis spe invitatos, non posse ad fraudem sibi inutilem conspirare; 3. non posse ingentem hominum multitudinem a falsis testibus decipi circa fa-

ctum publicum et gravissimi momenti: atqui hujusmodi principiis adversatur generalis circa facta historica Pyrrhonismus; ergo 2. etc.

Prob. 3. pars, nimirum universale de factis historicis dubium esse Religioni, societati et privatis infestissimum. 1. Quidem Religioni: cum enim tota pene factis innitatur, de ea prorsus actum erit, si de factis historicis generatim dubitandum sit. 2. Societati: præcipua enim illius vincula sunt legum auctoritas et sacra Principum majestas: atqui hæc societatis vincula disrumpit historicus Pyrrhonismus. Suam legibus auctoritatem adimit, siquidem cognosci nequeunt ipsarum auctores in adversariorum opinione; Principum etiam majestatem et imperium evertit. Imperia enim vel hereditatis, vel electionis jure possidentur: atqui si in factis nihil certi habeatur, tum hereditatis, tum electionis jura in dubium revocare quisque poterit: ergo generalis circa facta historica Pyrrhonismus societati plurimum est exitiosus. 3. Et privatis: si enim in antiquitate nihil certi fuerit, vani erunt tituli quibus possessiones suas defendere quisque solet, nutabunt omnium fortunæ, unicuique licebit aliena invadere dominia; ergo 3. maximum tum Religioni, tum societati damnum importaret generalis circa facta historica Pyrrhonismus; aliunde hominis indoli ac naturæ repugnat, et principiis homini congenitis adversatur; ergo rejiciendus est.

His adversus Pyrrhonismum historicum generatim constitutis, nunc specialibus argumentis ostendendum, quanta sit humani testimonii vis ad stabiliendam factorum, et naturalium, et supernaturalium veritatem.

SECTIO III.

De humani testimonii auctoritate, ubi agitur de factis naturalibus.

Ex factis naturalibus, alia sunt nobis coæva, alia jam dudum præterita.

PROPOSITIO I.

De factis coævis aliquando certo nobis constare potest ex hominum testimonio.

Prob. Tunc certo constat factorum veritas cum eorum testes nec decipi possunt, nec decipere volunt, nec possent, etiamsi vellent: atqui quædam sunt facta, quorum testes nec, etc.

Prob. 1. pars: Quandoque a plurimis testibus oculatis referuntur facta sensibus obvia, et cognitu facillima, atqui circa hujusmodi facta testes decipi nequeunt. Eos quippe in errorem lapsos supponere non licet, nisi fingantur facultatibus, organis et sensibus humanis orbati: atqui illud de magna testium multitudine absurde prorsus diceretur; id enim fieri nequit sine ingenti miraculo, quod sane non operabitur Deus, siquidem ad homines decipiendos efficeretur; ergo 1. quædam sunt facta, quorum testes decipi nequeunt.

Prob. 2. pars, nempe quædam esse facta, in quibus referendis testes decipere nolunt. Facta enim aliquando testantur plurimi homines, quibus fraus esset inutilis, imo et noxia: atqui 1. repugnat ingentem hominum numerum ad moliendam fallaciam sibi inutilem simul conspirare. Placet enim unicuique veritas, homines præterea suæ famæ sunt studiosi, turpem impostoris notam reformidant, ad mendaciumque sese non ferunt, nisi aliquid emolumenti inde expectent. Ea est communis hominum indoles; magnus igitur testium numerus alios sine utilitatis spe, fallendi consilium inire non potest, nisi prorsus immutetur hominum communis indoles: atqui illud de ingenti hominum multitudine suspicari absurdum est. 2. Multo magis etiam repugnat velle testes numerosos aliis fucum facere, commentitium quod sibi noceat factum testando. Id enim contingere non potest, quin sint sibimetipsis infensi, quin contra seipsos agant, imo quin insaniant: atqui illud magno testium numero ridicule prorsus affingeretur; ergo 2. quædam sunt facta, in quibus referendis testes fallere nolunt.

Prob. 3. pars, nimirum circa quædam facta testes non posse, etiamsi vellent, decipere. Aliquando enim agitur de facto publico et gravissimi momenti: atqui tunc suis æqualibus (*contemporains*) illudere nequeunt testes. Tunc quippe felicem exitum fraus habere non potest, cum homines natura duce impelluntur ad factum diligenter expendendum, et facile est fraudem detegere: atqui ubi factum maximi est momenti, cum scilicet præjudiciis adversatur, cum veterem Religionem destruit et novam adstruit, etc. tunc homines naturæ quodam instinctu feruntur ad factum serio examini subjiciendum, priusquam ipsi fidem adhibeant; et quando factum est publicum, facile est fraudem, si qua sit, deprehendere, v. g. si quis apud nos historiam vulgaret in qua confidenter assereret, anno proxime elapso, horrendam sæviisse pestem, quæ maximam Gallorum partem sustulisset, nonne statim fraus omnibus pateret? Ergo 3. quædam sunt facta, circa quæ suis æqualibus imponere testes nequeunt, etiamsi fallendi consilium suscepissent; aliunde, etc. ergo facta quædam nobis coæva constare possunt ex hominum testimonio.

Et vero in exemplum sit factum aliquod nobis coævum insigne et obvium, prælium scilicet Fonteniacum (*de Fontenoi*): in quo debellatos esse Anglos, non Galli tantum, sed et Germani ipsique Angli testantur: atqui nemo, nisi plane desipiat, factum illud ausit in dubium revocare. Testes enim non potuerunt decipi; agitur quippe de facto gravis momenti, publico et sensibili, circa quod nullum esse potest erroris periculum. Præterea non sunt deceptores, siquidem multi contra propriam utilitatem factum asserunt, nempe ipsimet Angli: atqui nulla fraudis et mendacii suspicio in hujusmodi testes cadere potest. Non raro quidem homines licet victi, victoriam sibi attribuunt; at nunquam victos sese palam confitentur, nisi confessionem hanc veritas ipsis extorqueat; humanum igitur de factis coævis testimonium aliquando est certissimum.

PROPOSITIO II.

Ex testimoniis hominum quandoque obtineri potest certa factorum jam diu præteritorum cognitio.

Prob. Facta jam diu præterita certo cognosci possunt, si plurimæ sint viæ, quibus eorum veritas ad remotissimam posteritatem certo transmitti queat: atqui plurimæ sunt viæ, quibus etc. nempe traditio oralis, historia, monumenta.

Prob. 1. pars: Aliquando contigit, ut factum gravissimi momenti et publicum transmittatur per multas testimoniorum series et veluti catenas, quarum primus annulus ipsius facti originem, ultimus vero tempora nostra contingat, et quæ singulæ testem oculatum exhibeant: atqui tunc ope traditionis oralis factum certo cognoscitur. Nullum quippe est tempus, quo error potuerit irrepere. Id enim non contigisset, nisi vel existente prima generatione, vel labente secunda, tertia, etc. atqui nihil horum dici potest. 1. Quidem error initium habere non potuit, existente prima generatione. Qui enim eam constituunt fuerunt testes oculati, vel saltem facto coævi: atqui, ex dictis in superiori propositione, repugnat plurimos ejusmodi testes decipi circa factum gravis momenti et publicum, ac proinde cognitu facillimum; ergo 1. error suboriri non potuit, existente prima generatione.

1. Nec etiam labente secunda: generationes enim puncto temporis et subito non evanescunt, at sibi sensim sine sensu succedunt, ita ut prima cum secunda simul existat; nam simul vivunt parentes et filii: atqui hoc posito, fieri non potest ut circa factum insigne et publicum error intrudatur. Ii scilicet qui ad primam generationem pertinentes cum secunda viverent, errorem facile cognoscerent, adversusque fraudem, si qua serperet, reclamarent; repugnat igitur per secundæ generationis lapsum invehi errorem. Idem et propter eamdem rationem dicendum est de tertia, quarta et aliis subsequentibus; ergo facti gravis et publici certitudo per traditionem o-

ralem non interruptam ad posteros, vel remotissimos, tota et integra transmitti potest.

Quod argumentum ut magis conspicuum fiat, factum seligamus et antiquissimum et celeberrimum, quales sunt victoriæ, quibus Cæsar domitas Gallias Imperio Romano adjunxit. Semotis historicis, qui de tanto eventu scripsere, id tantum expendamus quod de illo facto retinuit traditio popularis, et videamus utrum mera fabula iniri potuerit. Ex Provinciis nostris nulla est, ubi cognitum non sit Cæsaris nomen, vel ab indoctissimis. Ii etiam qui Romanam Historiam ne quidem attigerunt, eum norunt tanquam Galliarum domitorem.

Hanc Cæsaris expeditionem nullus ignorare potuit ejus ætatis Gallus. A testibus oculatis ad summum certitudinis physicæ gradum perducta fuit. Hæc generatio vivens illud factum cum præcipuis circumstantiis ad ætatem subsequentem transmisit. Nemo sane dixerit fidem hanc apud æquales (*contemporains*) invalescere potuisse, si factum fuisset suppositum. Numquid enim fieri potest, ut innumeri homines, qui sibi invicem ignoti sunt, et immensa locorum distantia sejuncti, eadem subito insania correpti, sibi persuadeant se vidisse quod nunquam extitit; id se audivisse, de quo ne unum quidem verbulum exceperunt; eam se expertos fuisse rerum conversionem, quæ ipsis non contigit ? Non minus impossibile est hominem solum hujusmodi dementia laborantem, eam plurimis aliorum hominum millibus communicare.

Numquid phœnomenum illud in ætate subsequenti magis possibile fuit ? nequaquam. Si quis enim secundæ hujus ætatis impostor, Cæsaris in Gallias expeditionem confinxisset, eamque fabulam serio narrasset, in eum illico insurrexissent auditores, quorum omnium ea fuisset una vox: Cum iis viximus, qui facti a te excogitati testes esse debuissent oculati, et tamen de eo nihil ab iis audivimus. Si verum esset, recentem illius memoriam habuissent patres nostri, tantique eventus circumstantias nobis narrassent. Præterea inde in nostris moribus, legibus, regimine et statu aliquid mutationis accidisset, cujus tamen

nullum deprehendimus vestigium. Apage istud commentum.

Idem illud responsum in tertia, quarta ætate et aliis posterioribus recurreret, nec feliciorem exitum, haberet impostoris fallacia. Error igitur in secundam, tertiam et alias ætates non magis intrudi potest, quam in primam; ergo, etc.

Prob. 2. pars; nimirum posse facti alicujus antiquissimi veritatem in longa sæculorum serie ad nos usque per historiam commeare. Nam juxta severioris criticæ regulas, historiæ fides adhibenda est, quando eam esse authenticam, id est, opus Scriptoris cujus nomine inscribitur, veracem et integram constat: atqui hæc tria certo constare possunt.

1. Quidem compertum erit authenticam esse historiam, si temporis ad quod refertur, moribus, institutis, opinionibus sit consentanea; si auctoris, cui tribuitur, indolem, ingeniumque aliunde notum referat; si fuerit a Scriptoribus coævis laudata, tamquam hujus vel illius Auctoris genium opus; qua ratione cognoscimus authentica esse opera, sub Virgilii, Ciceronis et Horatii nominibus edita.

Qua de re audiamus Auctorem eximiæ Dissertationis de factorum historicorum certitudine: *Comment pouvoir supçonner qu' un Livre a été supposé, lorsque nous le voyons cité par d' anciens Écrivains, et fondé sur une chaîne non interrompue de témoins, conformes les uns aux autres, sur-tout si cette chaîne commence au temps où l' on dit que ce Livre a été écrit, et ne finit qu' à nous? D' ailleurs: n' y eût-il point d' ouvrages qui en citassent un autre, comme appartenant à tel Auteur, pour en reconnaître l' authenticité, il me suffirait qu' il m' eût été apporté comme étant d' un tel Auteur, par une tradition orale, soutenue sans interruption depuis son époque jusqu' à moi, sur plusieurs lignes collatérales. Il y a, outre cela des Ouvrages qui intéressent plusieurs Royaumes, des Nations entières, qui par cela même ne sauraient être supposés. Les uns contiennent les annales de la Nation et ses titres; les autres, ses loix et ses coutumes; enfin il y en a qui contiennent leur Religion. Plus on accuse les hom-*

mes en général d' être superstitieux, plus on doit avuer qu' ils ont toujours les yeux ouverts sur ce qui intéresse leur Religion .... Tout un peuple ne saurait ignorer l' époque d' un Livre qui regle sa croyance, et fixe toutes ses espérances. (*Diction. Encycl. Art.* CERTITUDE).

2. Comperta erit historiæ veritas, si deprehendatur Scriptorem, non incertis ex rumoribus, sed ex relationibus fide dignissimis, et traditione constanti, certisque monumentis suam narrationem deprompsisse, si in scribendi genere, quo exprimitur ad vivum Scriptoris indoles, et ingenium, non sese prodant nimia credulitas, nec præjudicia et cupiditates, quibus delusus fuerit aut abreptus.

Præterea quo tempore facta quædam illustria scripserunt Historici, aderant testes oculati, qui ipsos mendacii arguere facile potuissent, si falsa eorum narratio fuisset. Qui autem crediderit posse Historicum testibus oculatis et sibi coævis imponere? Si quis hodie historiam vulgaret, in qua facta quædam gravia et splendida narraret, quasi nostris temporibus contigissent, de quibus tamen nemo quidquam audisset; numquid censes opus illud ad posteros sine ulla contradictione esse transiturum? Solus in quem incurreret contemptus, satis esset ad posteritatem ab hujus historiæ mendaciis defendendam. Denique cum aliquod gravis momenti factum refert Historicus, non solus illud testatur, sed innumeri cum eo testes. Enim vero toti suæ ætati verba facit historiæ Scriptor; posteritatem igitur decipere non potest, quin eam ad fraudem cum ipso quasi conspiret totum ejus sæculum. Quæ conspiratio prorsus est incredibilis: hæc omnia suam historiæ vindicat veritatem.

2. Exploratam habebimus historiæ alicujus integritatem ex variis exemplaribus, sive manuscriptis, sive impressis, secum invicem collatis. Si enim, quamvis in rebus levissimis discrepent, idem historiæ corpus exhibeant, tunc satis constabit Libros historicos non fuisse quoad substantiam adulteratos; sed nonnisi in quibusdam levis momenti circumstantiis; quod quidem respectu veterum Scriptorum vitari omnino non potuit; ergo historiæ quasi vehiculo facti ali-

cujus remotissimi veritas ad nostram usque ætatem certo deferri potuit.

Prob. 3. pars, nempe facti vel antiquissimi cognitionem certam ex monumentis publicis obtineri. Illud enim tutissima via est, qua factorum cognitionem assequamur, quod certam cum ipsis habet connexionem: atqui monumenta publica cum factis quibusdam, vel remotissimis, certo colligata sunt, siquidem ipsis occasionem facta præbuerunt; Statuæ, v. g. in quorumdam factorum memoriam erectæ, indubitatum sunt veritatis argumentum, modo ipsis coævum esse illud monumentum constiterit, et a nemine reclamatum fuerit. Ratio est, quia si confictum esset factum publico monumento consecratum, vehementer coævi omnes reclamassent. Nemo præterea eo dementiæ venit, ut publico monumento factum commendet, cujus falsitas omnibus innotescit; ergo 3. ex publicis monumentis constare potest facti jam dudum præteriti veritas, aliunde et traditione, et historia; ergo etc.

Et vero si viæ, quas modo indicavimus, seorsim spectatæ ad certam facti, vel antiquissimi, cognitionem perducant, quanto magis cum simul conspirant! atqui id aliquando contingit, ergo merito concluditur ex testimoniis humanis aliquando certo cognosci posse facta jam diu præterita.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Testimonium unius duntaxat hominis non est motivum certum; ergo nec plurimorum hominum testimonia: nam sicut unum, ita et magnam hominum multitudinem, decipi ac decipere supponi potest.

Resp. Neg. conseq. Unius enim tantum hominis testimonium easdem non habet conditiones, ac testimonium plurimorum. Testimonium quippe vim et auctoritatem accipit ex numero, consensione, cupiditatum conflictu, morum diversitate et aliis circumstantiis, quæ locum habent, quando plures in asserendum idem factum consentiunt, minime vero ubi unus aut alter, vel pauci testantur; ergo licet unius

duntaxat hominis relatio non sit motivum certum; licet unus vel pauci decipi et decipere queant, idem vel plurimorum hominum testimoniis perperam concluderetur.

Præterea ubi ingenti et unanimi hominum testimonio firmatur aliquod factum, tunc ipsius veritas cognitione humanitatis generatim spectatæ nititur. Difficillimum quidem est discernere quænam sit cujusvis testis seorsim sumpti indoles, quod ingenium, quæ occulta ipsius commoda; sed cognoscere facile est, non posse magnam hominum multitudinem eodem modo esse comparatam, tum ex parte ingenii, tum ex parte animi, non posse iisdem incitamentis et commodis impelli. Quo magis supponetur eos testes cupiditatibus et præjudiciis esse mancipatos, eo certius erit illos non potuisse inter se conspirare. Id enim cupiditatibus proprium est, ut homines faciant discordes. Sola potest veritas eos ad consensionem adducere.

Instabis: Quod convenit uni, convenit omnibus: atqui supponi potest unum hominem decipi aut decipere; ergo omnes homines.

Resp. Dist. maj. Quod convenit uni, convenit omnibus in iis, quæ in natura rerum fundantur, conc.; in iis, quæ in collectione tantum fundantur, neg.

Ubi quidem agitur de iis, quæ in rerum natura sunt constituta, nec pendent a distributione vel collectione, quod convenit uni, convenit omnibus: v. gr. cum ad naturam hominis pertineat, ut sit rationis particeps, ex eo quod uni homini conveniat esse rationalem, merito concludi potest id etiam toti hominum collectioni esse commune. At vero quod competit uni homini, non idcirco competit omnibus, ubi agitur de iis, quæ ex collectione tantum pendent. Sic plurima sunt, quæ in uno vel paucis non reperias, et quæ tamen in hominum collectione aut multitudine locum habent. Hujusmodi sunt, ut jam diximus, morum diversitas, locorum distantia, temporum intervalla, studiorum varietas, cupiditatum conflictus, opinionum discrepantia, ex quibus fit ut impossibile sit omnes ad fraudem ac mendacium conspirare.

Inst. Non magis absolute repugnat omnes, vel innumeros homines, decipere, quam unum hominem; neque enim hominibus, sive seorsim, sive conglobatim spectatis, necessario competit *veracitas*; ergo ex eo quod unus homo decipere possit, absolute supponi potest omnes, aut saltem innumeros homines, posse decipere.

Resp. Neg. ant. Illud enim prorsus repugnat, quod contingere non potest, quin labefactetur summa Dei *veracitas*, in eumque error merito refundatur: atqui fieri non potest ut omnes, vel innumeri homines, moribus, indole, cupiditatibus discrepantes, locorum et temporum intervallis disjuncti, circa factum aliquod sensibus obvium alios decipiant, quin pereat summa Dei *veracitas*. Enim vero a natura, vel potius ab ipsius auctore Deo, omnibus insita est propensio, qua insuperabiliter impellimur ad fidem iis factis adhibendam, quæ innumeri homines nulla utilitate ducti testantur: quis v. g. a se obtinere possit, ut dubitet existere urbem Romam? Præterea si innumeri testes circa facta sive præsentis, sive præteriti temporis decipere possint; ergo ex humano genere perierunt veritas et probitas, ac proinde nullum est humanæ societatis vinculum; sed tota ruit et funditus evertitur: atqui tamen ad societatem nos Deus naturali instinctu impellit; ergo fieri non potest ut innumeri testes in aliquo facto sensibili decipiant, quin labefactetur summa Dei *veracitas*; ergo id omnino repugnat.

Obj. 2. *Motivum* duntaxat probabile non parit certitudinem; atqui testimonium quodlibet humanum nonnisi *motivum* probabile est; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Illud enim testimonium non est *motivum* probabile tantum, quod aliam causam habere non potest, nisi ipsius facti veritatem: atqui testimonium hominum quandoque, etc. in exemplum sit istud factum, *extitit aliquando Julius Cæsar*. Ad stabiliendam hujusce facti veritatem conspirant innumera testimonia, innumera monumenta, innumeraque alia facta cum isto colligata; atqui unanimis ille et hominum et monumentorum consensus ex ipsa facti veritate repetendus est; vel enim id

fatearis necesse est; vel dicendum erit conspirationem hanc merum esse opus humanum aut divinum in gratiam erroris: atqui duo posteriora defendi nequeunt.

Non quidem primum. Illud enim non est opus humanum, quod vim omnem et potestatem humanam longe superat: atqui consensus ille unanimis circa factum istud, *extitit Julius Cæsar*, omnem vim et potestatem humanam excedit. Quis enim concipiat hominem quempiam in omnium hominum voluntates, linguas et calamos tantum imperii obtinere, ut omnes impellat ad testandum aliquod hujuscemodi factum, quod tamen nunquam contigisset? Ergo 1. unanimis illa hominum et monumentorum consensio non opus est humanum in gratiam erroris.

2. Non opus est divinum: Deus enim est summe verax, nec falli nec fallere potest: atqui merito censendus esset nos fallere, si per suam omnipotentiam omnes homines impelleret ad testandum aliquod factum, quod nunquam reipsa contigisset in iis, præsertim circumstantiis, in quibus nulla superesset ab errore emergendi via, ut patet; ergo unanimis testimoniorum et monumentorum consensio circa Julium Cæsarem, non est opus sive humanum, sive divinum contra hujusce facti veritatem; ergo non repetenda est nisi ab ipsa veritate facti de quo agitur, ac proinde testimonium hominum aliquando non probabile tantum est, sed inconcussam parit certitudinem.

Inst. Illud testimonium est tantum probabile, quod mera est probabilitatum congeries: atqui testimonium quodlibet humanum mera est probabilitatum congeries; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Testimoniorum enim tanta esse potest gravitas, tantaque multitudo, ut cum veritate facti certam habeant connexionem. Sua quippe primo testimonio est auctoritas, sua etiam secundo, quæ primam augeat et corroboret, sicque deinceps. Cum autem plurimæ et gravis momenti auctoritates, secum optime consentientes et cohærentes, eo sunt numero, qui sufficiat, ut cum facti veritate certo colligatæ sint et videantur, tunc simul conjunctæ mu-

tuumque robur sibi conferentes, non meram probabilitatem afferunt, sed inconcussam certitudinem.

Semper quidem definire possibile non est, ubinam præcise desinat probabilitas, ubinam incipiat certitudo, at sæpe pronunciare licet hujus vel illius facti veritatem certo constare. Ex. gr. mihi forte difficile esset statuere, qualis esse debeat testimoniorum numerus, ut exploratum habeam olim extitisse Cæsarem, Alexandrum, Moysen, et nostris temporibus existere Imperium Sinense, vel Moscovitarum. Facile autem mihi est deprehendere humana de præfatis rebus testimonia, satis numerosa esse et gravia, ut in mente mea firmissimam haberent certitudinem, quæ metaphysicæ in genere persuasionis nihil cedat.

Inst. Testimonium humanum quodlibet seorsim sumptum, non efficit nisi quamdam probabilitatem; ergo ipsa testimoniorum congeries meram dat probabilitatem.

Resp. Neg. conseq. Ideo enim testis seorsim sumptus, quamdam tantum probabilitatem efficit, quia numquam constare potest deceptorem. Ipsum quippe ad mentiendum impellere possunt causæ quædam speciales, ut spes, timor, utilitas, pravum ingenium. Nulla vero concipitur causa generalis, quæ ingentem testium, quales requirimus, multitudinem ad mendacium excitare possit. Ex. gr. post certamen Fontenacium (*de Fontenoi*) poterat miles aliquis, sive Gallus, sive Anglus, spe, vel metu, vel singulari quadam indole ductus, testari victos fuisse Gallos. Fieri autem non potuit, ut militum Gallorum, Anglorum, Batavorum, Austriacorum, qui hujus certaminis testes fuerunt, multitudo in simile mendacium conspiraret; ad illud enim necesse fuisset, ut mores humanos ii omnes prorsus exuissent; quod sine absurditate fingi non potest. Tanta quippe est apud homines utilitatum, ingeniorum, studiorum, cupiditatum diversitas et discrepantia, ut impossibile sit ingentem hominum multitudinem generali quodam *motivo* ad mendacium asserendum impelli, et insitam sibi eam propensionem extinguere, quæ homines inclinat ad reverentiam veritati cognitæ præstandam; ergo licet hominum testimonia seorsim sumpta,

nonnisi quamdam probabilitatem efficiant, idem de testimoniis plurimis simul conspirantibus dici non potest.

Inst. In ordine physico, earumdem rerum collectio illarum naturam non mutat; ergo pariter, in ordine morali, testimoniorum humanorum congeries, eorum naturam non mutat; ac proinde non efficit ut testimonia, quæ seorsim sumpta, quamdam tantum probabilitatem pariant, simul juncta certitudinem generent.

Resp. Dist. ant. In ordine physico, earumdem rerum collectio illarum naturam non mutat in seipsis, conc. ant.; ratione effectus, neg. ant.; dist. pariter conseq.

Porro in ordine physico, plurimarum ejusdem generis rerum collectio, earum naturam ratione effectus mutat. Sic viginti massulæ ferri, quarum unaquæque sit unius libræ, seorsim sumptæ non sufficiunt ad pondus 18. librarum, attollendum, in una lance (*bassin*) bilancis positum: conjunctæ vero sublevando huic ponderi pares erunt.

Id humanis testimoniis accommodari potest, quorum, si juncta fuerint, non mutatur natura in seipsis, sed tantum ratione effectus. Horum enim complexio eam auctoritatem, eamque in convictionis et persuasionis genere vim habere potest, quæ ab illa prorsus diversa sit, quæ singulis divisim testimoniis convenit. Hominum quippe testimonia, quando in unum coeunt, habent in natura et moribus fundamentum certitudinis, quo carent ubi sejuncta sunt. Unumquodque enim ab aliis divulsum, potest non aliud efficere, quam meram probabilitatem, quia mores hominum privatam non excludunt fallaciam, cui locum dare potest motivum aliquod particulare. Ingens vero testimoniorum coacervatio inconcussam gignit certitudinem, quia mores hominum generalem repellunt fraudem, quæ universale in natura motivum habere non potest.

Obj. 3. Tale est testimonium universale, qualis est testium seorsim sumptorum probitas: atqui hujusmodi testium probitas semper incerta est; neque

aliam dat facti cognitionem, nisi probabilem; ergo et testimonium universale.

Resp. Neg. maj. Ut enim certa fiat testimonii universalis veritas, minime necesse est singulorum testium probitatem expendere. Nam licet quilibet testis singulatim sumptus, falli aut fallere possit, non ita innumeri testes, qui factum publicum et insigne asserunt unanimes. Nec etiam tunc absolute opus est, ut testium dotes interrogentur. Quamvis v. gr. Romam propriis non conspexerim oculis; quamvis singulorum hominum qui Romam existere testantur, probitatem non discusserim, hanc tamen urbem existere non minus mihi certum est, quam si eam propriis vidissem oculis, quia scilicet impossibile est tot homines ad fraudem conspirasse. Id enim non ferunt immutabiles ordinis moralis leges, quibus reguntur creaturæ rationales; id etiam non patiuntur tum summa Dei sapientia, quæ malum permittere non potest, unde sequeretur totius societatis eversio; tum suprema Dei *veracitas*, qui naturalem nobis indidit propensionem, qua ineluctabiliter ferimur ad credendum factum, quod universali testimonio munitum est.

Obj. 4. adversus facta jam dudum præterita: Facta multis abhinc annis præterita, sunt incerta, si temporum lapsu semper minuatur eorum certitudo: atqui res ita se habet; certitudo enim primæ generationis, major est certitudine secundæ; certitudo secundæ major certitudine tertiæ, et sic deinceps, donec tandem in maxima temporis distantia penitus evanescat certitudo.

Resp. Neg. min. quia certitudo factorum quæ splendida sunt et sensibus obvia, ad posteros, vel remotissimos, integra transmittitur. Nullum est enim tempus, quo error potuit irrepere. Id quippe contingere non potuisset, nisi vel existente prima generatione, vel labente secunda, tertia, etc. atqui nihil horum dici potest, ut supra demonstravimus.

Præterea tunc eadem est certitudo, cum idem est testimonium moraliter perseverans: atqui in traditione constanti, de qua hic agitur, idem est testimo-

nium moraliter subsistens. Quolibet nimirum tempore plurimæ existunt generationes, quæ sensim ita sibi succedunt, út idem semper testium corpus esse videatur. Unaquæque enim generatio subsequenti transmittit, quod a præcedentibus accepit. Testibus oculatis æquævis (*les contemporains*) generationes sibi proximas edocent, istæ vero alias subsequentes. Idem igitur moraliter subsistit testimonium, et proinde eadem certitudo. Quin imo nedum facti certitudo temporum distantia minuatur, eam contra labentibus sæculis confirmari et invalescere sic probat Auctor operis, cui titulus: *L' insuffisance de la Religion naturelle, (t. 1. p.* 311.) ubi de Factis Evangelicis loquitur.

Le temps a toujours été regardé comme le père de la vérité, il la tire de l' obscurité quand elle est cachée, et lui donne une entière consistance quand elle est incertaine et douteuse; il étouffe, au contraire, le mensonge, quand il separe mal à propos des couleurs de la vérité: c' est avec le temps que l' on examine, que l' on discute, que l' on approfondit. Ce qui a pu tromper les imaginations échauffées du vulgaire, par le concours de diverses circonstances favorables à l' erreur, n' a plus le même effet, quand ces circonstances ne sont plus les mêmes: la postérité réforme sans peine les faux jugemens de ceux qui l' ont précédée; la succession des années et des siècles fait évanouir les fables et les chimeres. La vérité se sait jour; elle prend le dessus; et quand un fait a passé par l' épreuve de plusieurs siècles, quand il s' est maintenu dans l' esprit et dans la mémoire des hommes, comme un fait certain et indubitable, malgré la diversité des jugemens et des interéts de tant de Nations discordantes; quand il a essuyés les diverses attaques de l' esprit de contradiction qui reparait dans chaque siècle, on peut dire qu' un tel fait est parvenu à un degré de certitude que rien ne peut plus ébranler.

Instab. Testis auritus minus est fide dignus quam testis oculatus: atqui in secunda generatione non existunt nisi testes auriti, in prima vero fuerunt testes oculati; ergo testes secundæ generationis minus

fide digni sunt, quam testes primæ generationis.

Resp. Dist. maj. Testis auritus seorsim ab aliis spectatus, minus est fide dignus quam testis oculatus, conc. maj.; si jungatur cum aliis testibus auritis, neg. maj.

Testis quidem auritus seorsim ab aliis spectatus, minus est fide dignus quam testis oculatus. Testimonium quippe mere probabile, quale est unius vel paucorum hominum, eo minori firmitate pollet, quo remotius est a prima sua origine. Longe autem aliter se res habet, cum agitur de ingenti et unanimi testium auritorum multitudine. Eamdem quippe fidem sibi vindicant, ac testes oculati. Propter rationes enim jam expositas, absurdum est testes innumeros et sibi consentientes, circa gravissimi momenti factum vel dceptos fuisse, vel deceptores.

Obj. 5. Facti a nobis vel locorum, vel temporum ratione maxime dissiti certitudo, eodem modo se habet respectu mentis nostræ, ac respectu oculorum objecti sensibilis et remoti visio: atqui eo minor fit objecti sensibilis visio, quo istud remotius est; ergo pariter quo magis a nobis distat factum, eo minor evadit illius certitudo, ita ut nulla sit, quando factum est remotissimum.

Resp. Neg. maj. et parit. Objectorum enim visio fit per radios luminis, eo magis a se invicem disjunctos (*divergens*) quo longius a nobis distat objectum; ita ut, quo remotius est, eo pauciores radii visus organum subeant, ac proinde minus distiucta fiat objecti visio: factorum autem certitudo gignitur per lineas *traditionales*, quæ sunt *convergentes*, id est quæ in unum idemque punctum coeant, in quo scilicet vim suam jungunt et consociant testium multitudo, testimoniorum consensio, criticorum observationes, sæculorum fides, etc. ergo prorsus ruit paritas modo instituta.

Et vero objectorum quæ visu percipiuntur distantia non impedit, quominus clare et distincte videantur, cum adhibentur conspicilla inter objectum et oculos interposita, quæ nimiam objecti distantiam compensent. Ita pariter nec objectorum a nobis distantia impedit, quominus certo cognoscantur, quan-

do inter facti originem et nosmetipsos interjecta sunt quædam subsidia, quorum ope compensetur longum a nobis facti intervallum. Quæ adminicula sunt ingens testium numerus, testimoniorum concordia, traditio constans ad nostram usque ætatem propagata. Hæc enim omnia respectu mentis idem præstant, ac conspicilla respectu oculorum.

Obj. 6. Facta non pauca legimus nobiliorum Historicorum scriptis consignata, publici monumentis confirmata, unanimi consensu recepta, quæ tamen aniles inter fabulas ab eruditis merito recensentur. Sic crediderunt Romani a lupa lactatos fuisse Remum et Romulum, cotem ab Accio Navio novacula sectam; quæ facta et alia ejusdem generis Titus Livius et Tullius scriptis suis mandarunt; ergo neque traditione, neque historia, neque monumentis constare potest factorum præteritorum veritas.

Resp. dist. ant. Facta non pauca legimus, etc. et tunc desunt conditiones requisitæ, conc. ant. et adsunt illæ conditiones, neg. ant.

Itaque in discutienda factorum præteritorum veritate, attendendum est utrum adsint conditiones ad certitudinem requisitæ; scilicet an relationes, historiæ, monumenta certam habeant originem, an ab ipso tempore quo facta contigerunt, ad nostram usque ætatem, testimoniorum serie non interrupta pervenerint. Jam vero nulli proferuntur testes oculati, qui Remum et Romulum a lupa lactatos, qui cotem ab Accio Navio sectam viderint: imo Titus Livius admonet nonnulla se interdum miracula relaturum, quorum non aliunde constet veritas, quam ex prisca et communi credulitate: in prolatis igitur exemplis desunt conditiones ad certitudinem requisitæ.

Et vero confitentur adversarii hujusmodi factorum tandem deprehensam fuisse falsitatem: atqui nunquam detegi potuisset nisi existerent certæ regulæ, quarum ope vera testimonia a falsis secernantur; ergo, servatis illis regulis, comperta esse poterit factorum jam diu præteritorum veritas.

Obj. 6. cum Patre *Hardovin* eruditione et paradoxis famoso: Constat humanum genus per longam sæculorum seriem fuisse densissimis ignorantiæ tene-

bris involutum, ita ut paucis duntaxat hominibus, quorum plerique vitam agebant solitariam, creditum fuerit, tum sacræ, tum profanæ litteraturæ depositum: atqui in eo temporis intervallo contingere potuit, ut qui tam impostores ætatis suæ ignorantia et simplicitate abuterentur, in lucemque sub falsis nominibus ediderint omnes fere libros, quos veluti totidem antiquitatis monumenta veneramur; ergo incertæ sunt fidei scripta pene omnia, quæ veteribus tribuuntur.

Resp. Neg. min. Quis enim sibi persuadeat in iis sæculis, quibus bonarum Artium et sanæ Litteraturæ notiones fere omnes perierant, in lucem prodiisse absolutissima humani ingenii opera, quibus palmam concedere coguntur vel optimæ ætatum sequentium lucubrationes? Quis credat obscuros Scriptores, ab omni vitæ civilis commercio sejunctos, ingenium ita varium et multiplex, tantamque doctrinæ copiam habuisse, ut nativos tum Historiæ, tum Eloquentiæ, tum Poeseos colores summa cum laude servaverint? Quis tandem in animum sibi inducat, fraudem hanc tanta cum solertia fuisse concinnatam, ut vel oculatissimi temporum sequentium Doctores, ne levissimum quidem deprehenderint suppositionis indicium?

Præterea in iis etiam ignorantiæ sæculis, non unus tantum nec pauci, sed plurimi per varias regiones dispersi, Scientiis et Artibus operam dabant: quo pacto igitur omnes, nullo reclamante, potuissent ad decipiendam posteritatem conspirare? quomodo effecissent, ut diversa operum suppositorum exemplaria et manuscripti codices, ejusdem Auctoris fœtus viderentur?

Inst. probando min. Isidorus Mercator suos æquales (*contemporains*) et sequentes generationes decepit; siquidem, nemine reclamante, sub primorum Ecclesiæ Romanæ pontificum nominibus, plurimas vulgavit *Decretales Epistolas*, quæ tamen nec Auctorum, nec temporum sunt, quibus ab Isidoro tribuuntur; ergo idem efficere potuerunt impostores alii, respectu multorum operum quæ antiquitati etiamnum adscribuntur.

Resp. Neg. conseq. et parit. nam 1. Isidorus Mercator ideo suis æqualibus illusit, quia falsa veris dolose permiscuit; contra vero impostores, de quibus agitur, nihil nisi falsum et suppositum posteritati transmisissent. Ceterum adversus ipsum Isidorum Mercatorem reclamabat constans et unanimis sæculorum præcedentium traditio. Decretales enim Epistolæ quas edidit, ante ipsum fuerant penitus ignotæ, nullosque temporum et Auctorum, quibus eas attribuit, characteres præ se ferebant.

2. Statim atque primarias sanæ critices regulas adhibuerunt eruditi, facile deprehenderunt Decretales Epistolas ab Isidoro confictas, nec Auctorum, nec temporum esse quibus eas affingebat; contra vero in operibus quæ veteribus Græcis aut Romanis vindicat traditio constans et unanimis, nullas falsitatis et suppositionis notas detegere potuit vel severius recentiorum Doctorum examen. Idem et meliori jure intelligendum est de sacris Veteris et Novi Testamenti Libris, ut multoties et decretoriis argumentis demonstrarunt Religionis Christianæ defensores.

SECTIO III.

De humani testimonii circa facta supernaturalia, quæ miracula dicuntur, auctoritate.

Cum Religio Christiana potissimum nitatur factis supernaturalibus, quæ humani testimonii ope nobis innotescunt, nihil non moliuntur increduli, ut persuadeant circa hujusmodi facta nullius momenti esse hominum relationem. Quapropter sit

PROPOSITIO.

Ex hominum testimonio constare potest factorum supernaturalium veritas.

Prob. 1. Dantur regulæ, quarum ope constat factorum naturalium veritas: atqui regulæ illæ ad facta etiam supernaturalia, sive miracula, pertinent.

Quid enim obstaret quominus iis accommodari possent? an quia extra solitum naturæ cursum posita sunt, Deumque solum habent auctorem, quo in capite a factis naturalibus differunt? sed discrepantia illa non impedit, quominus erga facta miraculosa, sicut et alia, eædem adhiberi possint regulæ. Illæ enim non factorum naturam et causas, sed veritatem duntaxat spectant.

Ad exploratam igitur facti supernaturalis, quemadmodum et naturalis veritatem, satis est ut constet nec deceptos, nec deceptores fuisse testes; atqui utrumque constare potest. Et quidem 1. factum enim supernaturale non minus est sensibus obvium, quam factum naturale, neque difficilius est v. gr. cernere hominem redivivum, postquam a mortuis suscitatus est, quam difficile fuit eumdem conspicere viventem, antequam esset mortuus. 2. etiam compertum esse potest, nimirum testes non fuisse deceptores, nempe si genuinos probitatis et sinceritatis characteres præ se ferant, si magno sint numero, si nulla utilitate propria, imo contra proprium commodum, factum testentur; ergo etc.

Probat. 2. exemplo resurrectionis Christi: Insignis hujus miraculi fidem faciunt, 1. testimonium numerosum, siquidem illius testes fuere plus quam quingenti Discipuli, quibus Christus a mortuis redivivus apparuit; 2. testimonium constans, cum testes sæpissime interrogati, gravissimis etiam suppliciis vexati, ut factum illud reticerent, hoc tamen ultro prædicarunt; 3. testimonium unanime; illi enim testes locorum et temporum intervallo disjuncti, ejusdem facti veritatem asseruere; 4. testimonium sincerum, utpote datum cum fortunæ, famæ et vitæ periculo; 5. denique testimonium fuso sanguine consignatum: testes quippe ad stabiliendam resurrectionis Christi veritatem acerbissima inter supplicia vitam abjecere: atqui testimonium his characteribus vestitum, omnem prorsus excludit erroris suspicionem; ergo ex hominum testimonio constare potest factorum supernaturalium, sive miraculorum veritas.

Prob. 3. Posse testimonio quolibet humano probari miracula, ideo negant quidam ex adversariis, quia

ea possibilia non esse contendunt: atqui quamcumque in partem se vertant, miraculum admittant necesse est. Vel enim vera est facti supernaturalis narratio, vel falsa. Si prius dixerint, existit miraculum; si posterius, ergo pariter existit miraculum in ordine morali. Numquid enim sine hujusmodi miraculo fieri potest, ut commentitium sit factum, quod unanimes testantur innumeri homines, ingenti locorum distantia sejuncti, diversis et sæpe oppositis cupiditatibus servientes, variis dediti studiis, et quorum etiam varia est commodi et incommodi ratio?

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Factum de cujus falsitate magis constet, quam de ejus veritate, nullam meretur fidem: atqui de facti supernaturalis, sive miraculi, falsitate semper magis constat, quam de ejus veritate; ergo fidem nunquam meretur.

Resp. Neg. min. Facti enim supernaturalis, sicut et naturalis, veritas in tuto est, si referatur a plurimis testibus fide dignissimis. In exemplum sit hominis cujusdam omnibus commendabilis resurrectio. Nuntiatur mors ipsius, urbs tota ingemit, apparantur exequiæ, pompam funeream comitantur primores civitatis, et populus numerosus, mors indubitata est. Interea in medium prodit aliquis, qui se divinitus missum declarat, jubet stare homines cadaver deferentes, mortuum in feretro jacentem ad vitam revocat. Stupendæ hujus rei fama per omnium ora volitat; ab iisdem testibus qui eum mortuum prius affirmaverant, nuntiatur redivivus. Iidem testes, numero, sapientia, probitate æque credibiles, utrumque factum asserunt unanimes. Vita mortuo restituta factum est publicum, sensibus obvium, quemadmodum ejusdem hominis mors præterita; ergo quoniam certa mors erat, certa quoque est vita, ac proinde resurrectio, quæ factum profecto est supernaturale; ergo etc.

Inst. Certi sumus physice factum supernaturale, sive miraculum, non existere, siquidem naturæ legibus repugnat; moraliter vero tantum, id est, ex

hominum testimoniis, certi sumus illud existere: atqui certitudo physica major est certitudine morali; ergo de falsitate facti supernaturalis nobis magis constat, quam de illius veritate.

Resp. 2. Dist. primam partem majoris: Certi sumus physice factum supernaturale, sive miraculum, non existere, sepositis argumentis contrarium probantibus, conc. maj. positis argumentis contrarium probantibus, neg. maj.

Porro si defuerint argumenta in gratiam miraculi, tunc illud non existere, sive non suspensas fuisse naturæ leges, physice certi sumus. At vero quando suppetunt argumenta quæ miraculum adstruant, tunc comperta est ipsius veritas, nullaque adversus illam militat certitudo physica. De falsitate enim miraculi non sumus certi, nisi ex hypothesi quod serventur consuetæ leges naturæ; ubi ergo semel constiterit naturæ legibus derogatum fuisse, tunc prorsus evanescit physica de miraculi falsitate certitudo: atqui ex hominum testimoniis fide dignissimis constare potest Deum solitis naturæ legibus derogasse. Hæc enim derogatio respectu Dei factum est possibile, qui hujusmodi leges libere instituit; quod factum certo innotescere potest; nimirum per testimonia sensuum, ubi agitur de testibus oculatis; vel per testimonia hominum, cum agitur de testibus auritis.

Resp. 2. Neg. min. Certitudo physica fundatur in solitis naturæ legibus. Sic, v. g. physice certum est corpus pari aquæ volumine gravius fundum petere. Certitudo moralis nititur consuetis hominum moribus, et legibus quibus reguntur mentes humanæ. Sic moraliter constat innumeros homines gratuito et sine causa congenitum sibi veritatis amorem non depposituros, quando factum referunt, cujus ipsi fuerunt testes oculati.

Porro non minus immutabiles sunt ordinis moralis, quam ordinis physici leges. Sicut enim juxta solitas ordinis physici leges, repugnat Solem crastina die non esse oriturum; sic, juxta consuetas ordinis moralis leges, repugnat innumeros homines tempore, loco, moribus, studiis, præjudiciis disjunctos, nulla utilitatis spe allectos, extinctoque naturali veritatis

amore, simul conspirare ad persuadendum factum incertum vel falsum. Ad illud enim requireretur, ut Deus communes, et naturales animæ propensiones in ingenti hominum numero immutaret; quod sane a divina Sapientia et veracitate alienum est; ergo certitudo physica non major est certitudine morali. Et vero de quibusdam factis, ex hominum testimonio duntaxat cognitis non minus certi sumus, quam de iis quæ ipsi vidimus, (quod vocatur *certitudo physica*). Neque urbem Romam, neque Henricum IV. Galliarum Regem vidisti. En duo facta, quæ tibi ex solo hominum testimonio innotescunt, de quibus proinde non aliam habes certitudinem, quam moralem. Dic mihi, quæso, an minus certo tibi constet utriusqne illius facti veritas, quam existentia urbis Lutetiæ in qua commoraris, et quam propriis vides oculis?

Inst. Saltem ubi duæ certitudinis species, quarum par auctoritas est, sibi invicem adversantur, mens in æquilibrio constituta, neutram partem amplecti potest: atqui in proposito casu duæ certitudinis species, etc. Hinc enim certitudo physica declarat nullum contigisse miraculum; illinc certitudo moralis testatur extitisse miraculum; ergo mens hinc et inde liberata, neutram in partem propendere potest et debet.

Resp. Neg. min. 1. Quia certitudo non magis potest certitudini opponi, quam veritas veritati. Quid enim est certitudo, nisi veritas ipsa, quatenus menti sese manifestam faciti? 2. Quia nullus est inter utramque certitudinem conflictus. Certitudo enim physica circa miraculi veritatem nihil affirmat, dum ipsam aperte et dilucide confirmat certitudo moralis. Declarat quidem certitudo physica non posse miraculum existere, quin consuetis naturæ legibus derogatum fuerit. Utrum autem hæc derogatio contigerit, necne, ea de re nihil pronuntiat, sed omnino silet. Contra certitudo moralis testatur quoddam extitisse factum v. gr. mortui resurrectionem, quæ, judice ratione, ipsisque fatentibus adversariis Deo possibilis est, neque citra miraculum contingere potuit.

Ob. 2. cum Deista notissimo: Si quis vir probus

mihi renuntiet mortuum esse aliquem, idem libenter credam; si vero idem mihi referat mortuum illum fuisse vitæ redditum, id nunquam crediderim: imo etiamsi illud tota testetur Lutetia, fidem omnino denegarem. Magis enim possibile est totam civitatem decipi aut velle decipere, quam suscitatum esse mortuum; ergo circa factum supernaturale, qualis est resurrectio mortui, nullius est momenti testimonium quodlibet humanum.

Resp. Neg. ant. Duo involvit, nempe totam Lutetiam 1. potuisse decipi, 2. voluisse decipere: atqui utrumque absurdum est.

Et quidem 1. non magis impossibile est mortuum ad vitam revocari, quam innumeros testes circa factum sensibus obvium decipi: ex Scepticorum enim principiis, physice, id est, naturæ legibus, repugnat mortui resurrectio: at vero nonne pariter legibus naturæ contrarium est, sibi persuadere urbem frequentissimam, hominem se audire quem non audit; hominem se manibus contrectare, quem non contrectat? numquid contingere id potest, quin derogetur naturæ legibus circa sensuum relationem a Deo institutis? Præterea fatetur Scepticus quem refellimus, potuisse totam Lutetiam de morte illius hominis certam fieri, iisdem ergo viis exploratam habere potest novam ejusdem vitam, ac proinde ipsius resurrectionem.

2. Etiam absurdum est, nempe fieri posse ut decipere tota voluerit Lutetia. Rem ita demonstrat elegantissimus Dissertator jam laudatus, cujus verba contrahimus: *Les témoins n' ont eu les mêmes passions, ni les mêmes intérêts; ils ne se connaissent pas; il y en a même beaucoup qui ne se sont jamais vus; donc il ne sauroit y avoir entr' eux aucune collusion. Le complot d' une aussi grande ville que Paris, formé sans raison, sans intêret, sans motif, entre des gens qui ne se connaissent pas, est plus difficile à croire que la résurrection d' un mort. La résurrection est contre lex loix du monde physique; ce complot est contre lex loix du monde moral. Il faut un prodige pour l' une comme pour l' autre, avec cette différence que l' un serait beau-*

coup plus grand que l'autre. Que Dieu ressuscite un mort pour manifester sa bonté, ou pour sceller quelque grande vérité, là je reconnais une Puissance infinie: mais que Dieu bouleverse l'ordre de la société; qu'il suspende l'action des causes morales: qu'il force les hommes, par une impression miraculeuse, à violer toutes les règles de leur conduite ordinaire, et cela pour en imposer à un simple particulier, j'y reconnais, à la vérité, sa puissance infinie, mais je n'y vois point de sagesse qui la guide dans ses opérations: donc il est plus possible qu'un mort ressuscite, qu'il n'est possibile que tout Paris m'en impose sur ce prodige.

PARAGRAPHUS V.

De Memoria.

Mens nostra suas affectiones percipit vel quatenus actu præsentes et existentes, vel quatenus præteritas. In priori casu mens dicitur habere sensum intimum: in posteriori vero memoriam sive recordationem. De memoria fusius et opportunius in Metaphysica disseremus.

PROPOSITIO.

Memoria est motivum *judicandi certum.*

Prob. Deus non potest censeri velle nos decipere: atqui tamen id velle censendus esset, nisi memoria certum foret *motivum*. Ita enim mens a Deo comparata est, ut naturali et invicta propensione impellatur ad judicandum quasdam in se affectiones extitisse, quæ tamen non extitissent, si memoria nos falleret; in errore igitur necessario versaretur, qui in Deum merito esset refundendus, utpote insuperabilis, illius propensionis auctorem; ergo etc.

Dices: Apud homines nihil frequentius audias, quam eos fuisse a memoria delusos; ergo non semel fallit memoria.

Resp. Neg. conseq. Ideo quippe memoria dicitur fallere, quod sæpe enitamur aliquid in memoriam revocare, nec possumus, vel quod levi suspicione, animique præcipitatione, aliquando res quasdam extitisse et præteritas esse arbitremur, quamvis non extiterint, nec propensionem habeamus insuperabilem, quæ ad tale judicium nos impellat. Tunc vero memoriæ defectu, non ipsa memoria fallimur, quemmadmodum evidentia perperam diceretur nos decipere, eo quod præsens esse judicetur, dum reipsa tamen est absens.

PARAGRAPHUS VI.

De Analogia.

Analogia quoddam est argumenti genus ex similitudinibus deductum, quo scilicet de ignotis et nondum observatis judicamus ex iis, quæ in eodem genere cognoscimus. Ex eo quod v. gr. exploratum habeamus gravia esse omnia Europæ corpora, a simili concludimus eamdem proprietatem ceteris aliarum regionum corporibus competere. Pariter ex eo, quod in aliis hominibus eamdem constanter deprehendamus seriem operationum, quæ in nobis ex principio cogitante ducunt originem, per analogiam concludimus in ceteris hominibus inesse principium cogitans huic simile, quod in nobismetipsis existere testatur conscientia. Huic principio admodum simplici tota innititur analogia, mundum scilicet constantibus generalibusque temperari legibus.

Ne autem in analogiam multiplex irrepat error, summopere curandum est ut inter rem observatam et illam non observatam plurimæ intercedant similitudines. Ex. gr. non adhibentur plantæ medicinales, nisi ex cognitione analogica: siquidem planta quæ hic et nunc adhibetur, non eadem numero est, quæ hactenus fuit adhibita. Porro eo probabilius est hanc plantam, qua nunc utimur, ægro salubrem fore, quo plures sunt hujus plantæ cum ea, quæ in paribus morbis utiliter adhibita fuit, similitudines; si nempe non modo sit ejusmodi speciei, sed etiam

in simili solo nata, eamdemque maturitatem attigerit.

PROPOSITIO.

Analogia plurimis in circumstantiis motivum *est certum*.

Prob. Analogia plerumque in eo sita est, quod propter cognitam legum naturalium constantiam et æquabilitatem, ex jam observatis ad nondum observata progrediamur, et de iis similia concludamus: atqui constantia et æquabilitas legum generalium, quibus aspectabilis hic mundus regitur, certum est judicandi *motivum*. Nisi enim ita se res haberet, perpetuis hominum vita torqueretur anxietatibus, quod divinæ Providentiæ adversatur. Quamvis scilicet sæpius experti fuissemus, sitim potu, famem esca sedari, hunc cibum esse salubrem, illud vero exitiosum, semen solo mandatum germinare, crescere et in segetem adolescere, etc. dubitandum tamen esset, similesne causæ similes effectus gignerent: atqui ex illo dubio quanta pullularet anxietatum seges, nemo non intelligit; ergo legum naturalium constantia et æquabilitas, ac proinde quæ ea nititur analogia, certum est judicandi *motivum*, saltem ubi agitur de iis, circa quæ tentata sunt experimenta. In aliis autem casibus expectandum est, donec repetitis experimentis constiterit, rem nondum satis observatam reipsa dimanare ex aliqua lege naturali et uniformi, tuncque absque errandi periculo pronuntiabitur.

SCHOLIUM.

Licet analogia multis in circumstantiis tutam præbeat veritatis regulam, sæpe tamen nonnisi diversos probabilitatis gradus suppeditat. Quin etiam nonnulli occurrunt casus, in quibus homines destituat omnis fere rerum analogia. Tunc vero si ulterius procedere velint, periculum est ne in ridicula et obscura sese conjiciant systemata. Cujus rei non pauca sunt exempla; unum duntaxat, sed illustre, seligimus. *Fontenelle*, in eleganti sane opere quod inscri-

bitur: *La pluralité des mondes*, ingeniosis rationibus propugnaverat planetas omnes, qui supra nos volvuntur, suos habere incolas. Cui profecto hypothesi nonnihil probabilitatis conciliat terræ nostræ analogia. Verum longius progressi sunt Huyghens et Wolfius. Iis enim visum est planetarum incolas esse homines nobis similes. Quin imo eo devenit Wolfius, ut illos gigantes quosdam esse pronuntiet. Enim vero, inquit, oculorum pupilla vel dilatatur, vel contrahitur, prout lumen debilius est aut vividius: ergo qui planetam Jovis incolunt, cum sint a sole remotiores; et proinde lucem remissiorem excipiant, pupillas habent nostris multo latiores; at vero pupilla cum oculo, et oculus cum reliquo corpore accuratam habet proportionem; ergo Jovis incolæ statura nos longe superant. Denique rem calculis subjiciens, statuit proportionem lucis ad pupillæ amplificationem, postea pupillæ ad oculos, demum oculorum ad corpus: quibus constitutis, Jovis incolis altitudinem tredecim pedum Parisinorum assignat. Insigne illud exemplum probat, quam ineptis opinionibus locum dare possit ficta analogia, inter res omnino dispares et dissimiles instituta. Quæ enim ratio esse potest, cur similes nobis planetarum incolæ, cur statura majores credantur?

APPENDIX.

De Dubio.

Dubium generatim est animi suspensio circa objectum aliquod menti propositum. Duplex distinguitur, nempe *effectivum* et *methodicum*. Dubium *effectivum* est suspensio assensus duas inter propositiones contradictorias, propter oppositas et æquales hinc et inde rationes. Dubium *methodicum* in eo situm est, ut cohibeatur assensus circa propositiones, quæ probatione indigent; dicitur *methodicum*, quia non suscipitur nisi methodi causa, eoque consilio ut veritas certius detegatur. De posteriori illo dubio disseremus in quarta Logicæ parte. Nunc agitur duntaxat de dubio *effectivo*.

Ex veteribus Philosophis alii fuerunt, qui veritatem in plurimis inventam esse pronuntiarent, ideoque appellati sunt *Dogmatici;* nomen illud habuerunt a *Dogmate,* quod idem sonat ac veritas certissima. Alii veritatem nondum quidem repertam esse existimabant, sed de ea invenienda non disperabant. Dicti sunt *Sceptici,* sive inquisitores, quia veritatem inquirere se profitebantur. Vocati sunt etiam *Pyrrhoni,* a Pyrrhone, qui Scepticismum acerrime propugnavit. Dubitationem suam generalem neque ad res civiles et practicas extendebant, in iis quippe naturam ducem sequebantur; neque ad ipsas rerum *npparentias;* sensus enim intimi testimoniis non reluctabantur; sed de iis tantum ambigebant, quæ ad interiorem rerum naturam pertinent, propter æqualitatem rationum hinc et inde oppositarum, quam ubique deprehendere se existimabant. Unde dubitationis scepticæ fundamentum erat istud axioma: *Omnis ratio, alia ratione opposita et æquali contradici potest.*

Alii demum opinabantur nec inventam esse, nec inveniri posse veritatem, ideoque de omnibus dubitandum esse, et quidem sine ulla spe ex dubio emergendi. Eam ob causam dicti sunt *Acataleptici,* idest *Incomprehensores.* Inter recentiores sæculo XVI. *Michael Montagne,* propter nimiam sui existimationem a Paschalio, Mallebranchio et Auctore *Artis cogitandi* reprehensus, ceterum pectoris humani contemplator diligentissimus, et pictor egregius, in suis passim operibus, sed præsertim in *Tentaminibus,* perniciosum et Religioni et societati Pyrrhonismum affectavit. Cujus vestigiis institit ipsius discipulus *Petrus Charron,* in suo *de Sapientia* Tractatu. Sub finem sæculi proxime elapsi *Bayle,* versipellis ille Deistarum præcursor, quæcumque hactenus contra veritatem ordinis tum naturalis, *tum supernaturalis* proposita sunt argumenta, undique corrasit et digessit: Philosophi nullis partibus addicti ementitam speciem gerens, omnem ingenii sui vim in illud contulit, ut certitudinis cujuscumque fundamenta convelleret.

Quamvis ex superioribus articulis exploratum sit,

quædam esse judiciorum nostrorum *motiva* certissima, ideoque non esse de omnibus dubitandum, propter materiæ gravitatem, sit

PROPOSITIO.

Dubium generale effectivum *admitti non potest*.

Prob. 1. Quia impossibile est: Dubitatio enim *effectiva* est libratio mentis inter assensum et dissensum ancipitis propter æqualia hinc et inde rationum momenta; atqui hæc mentis libratio in omnibus, et singulis non est possibilis. Sit in exemplum ista propositio, *Qui cogitat, existit*: Atqui circa illam propositionem aliasque similes possibilis non est fluctuatio mentis inter, etc. Quis enim sincere dixerit circa præfatam propositionem adesse æqualia hinc et inde rationum momenta, quibus inter assensum et dissensum mens incerta libretur? quin imo ineluctabiliter rapitur ad assentiendum huic propositioni, *Qui cogitat, existit*. Et vero Scepticus dubitare non potest utrum existat; prius est enim existere, quam dubitare; vel si dubitet an existat, saltem de sua cogitatione dubitare nequit. Nam quisquis dubitat, eo ipso cogitat; si tandem de sua cogitatione dubitet, certe non potest suam dubitationem in dubium adducere, ergo, etc.

Probatur 2. Quia veritatis inquisitioni prorsus adversatur dubitatio generalis *effectiva*; ea quippe semel admissa, nulla relinquitur spes inveniendæ veritatis. Ad illius enim cognitionem perveniri non potest, nisi quorundam principiorum adminiculo: atqui per dubitationem universalem omnia tolluntur principia, cum evidentissima quæque pro incertis habeantur.

Prob. 3. Quia multiplici ex capite illicita est, siquidem et morum integritatem, et societatis securitatem, et Religionis fundamenta subvertit. Quis scilicet moribus, societati, Religioni locus esse potest, dum funditus evertitur jus omne, tum naturale, tum divinum, tum humanum? atqui dubitatio generalis

quam aggredimur, jus omne, etc. Per eam quippe mens incerta fluctuat circa principia juris naturalis, divini et humani, v. g. circa discrimen *essentiale* boni et mali moralis, virtutis et vitii, circa supremi Numinis existentiam et cultum, ut patet; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Omni rationi datur ratio opposita et æqualis; ergo admittenda est dubitatio generalis *effectiva*.

Resp. Neg. ant. Sit enim in exemplum ratio, propter quam mihi constat me existere, scilicet *quia cogito*, et prius est existere, quam cogitare: atqui evidentissimæ huic rationi opponi non potest ratio æqualis, sed tantum futilis et insana, ut per se liquet; ergo etc.

Inst. Etiamsi omni rationi opposita et æqualis nondum reperta fuerit, forte aliquando invenietur; ergo cuilibet rationi opponi potest ratio æqualis.

Resp. Neg. ant. Quædam sunt enim axiomata, ita vera, certa et evidentia, ut nullæ sint, nec esse possint rationes, quæ illorum veritatem infirmare, certitudinem labefactare, et evidentiam obscurare valeant: qualia sunt ista: *Impossibile est idem esse simul et non esse; totum est majus sua parte*. Hujusmodi propositionibus nunquam opponentur nisi argumenta nugatoria, quæ mentem ab assensu dimovere nunquam poterunt.

Inst. Ratio cuilibet rationi opposita et æqualis possibilis est in rerum natura; ergo potest aliquando inveniri.

Resp. Neg. ant. In rerum quippe natura omnia sibi apprime consentiunt: atqui si in naturæ sinu delitescerent rationes oppositæ et æquales cuilibet rationi indubitatæ, qualis est ea per quam mihi compertum est me existere, nempe quia cogito, tunc in rerum natura nullus esset concentus, nulla harmonia; sed ubique existerent contradictio, discordia bellumque intestinum. Omnia quippe essent simul et non essent; essent quidem ob rationem indubitatam evidentem quæ pacto cognoscitur; non essent

vero, propter rationem oppositam et æqualem, quæ possibilis supponitur; ergo, etc.

Obj. 2. Ens omne vel sensibile est, vel *intellectuale:* atqui tum de sensibili, tum de *intellectuali* dubitandum est; ergo de omnibus dubitari debet.

Resp. Neg. min. Ad judicandum enim sive de sensibili, sive de *intellectuali,* v. g. bis duo dare quatuor, aliquando movet evidentiam: atqui tunc nec potest, nec debet admitti dubitatio; siquidem, ex antea demonstratis, evidentia parit certitudinem inconcussam.

Inst. Ibi admittenda est dubitatio, ubi semper adest errandi formido: atqui tum circa sensibile, tum circa *intellectuale* semper adest errandi formido; ergo tum circa sensibile, etc.

Resp. Neg. min. Evidentia quippe omnem depellit errandi metum. Evidentia enim est perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se: atqui hæc perceptio omnem removet errandi formidinem; siquidem ipsi falsum subesse non potest, quin idem sit simul et non sit, id est, quin eadem convenientia vel repugnantia inter ideas existat simul et non existat, ut supra expositum fuit.

Inst. Ibi semper adest errandi formido, ubi reipsa multi errarunt: atqui circa tum sensibile, tum *intellectuale* errarunt plurimi; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Ubi reipsa multi errarunt, citra ullam erroris devitandi viam, conc. cum aliqua erroris devitandi via, neg.

Fateor equidem ibi semper adesse errandi periculum, ubi reipsa plurimi errarunt, si nulla ipsis adfuerit regula, cujus ope errorem declinare potuissent. Nego vero ibi semper metuendum esse errorem, ubi decepti fuerunt plurimi, si qua ipsis suppeteret erroris effugiendi via: atqui ipsis præsto erat erroris effugiendi via, nempe evidentia, quæ, ut supra exposuimus, tutissima est erroris declinandi, et veritatem a falsitate secernendi regula. Si enim nec plus nec minus affirmassent, quam perciperent, profecto non errassent.

Inst. Cum illud erroris declinandi *medium,* non aliud esse possit, quam ipsum vel sensibile, vel *in-*

tellectuale, de quo movetur quæstio, alio *medio* indigebit, ut probetur, et sic indesinenter: atqui absurdus est ille *mediorum* progressus in infinitum; ergo nullum est erroris declinandi *medium*.

Resp. Neg. maj. Illud enim *medium* ipsa est evidentia, quæ nullo alio indiget *medio* a se distincto. Ad mentem quippe quam illustrat, se habet, ut lumen solis ad oculos: atqui lux solis non aliud requirit *medium* a seipsa diversum, quo certa fiat; ergo nec evidentia.

Inst. Vel *medium* illud alio indigebat, ut probetur, vel supponi debet tanquam certum: atqui supponi non debet *medii* cujusvis certitudo; ergo *medium* erroris declinandi alio medio indigebit, et istud secundum tertio, tertium quarto, et sic in infinitum.

Resp. Neg. min. Supponi enim potest, sive non opus est ut per aliud demonstretur certitudo *medii*, quo nihil est certius ac notius: atqui nihil est evidentia certius ac notius; ergo probatione non indiget ipsius certitudo. *Nam qui fiet*, ait Galenus adversus Scepticos, *ut id, quo judicantur omnia reliqua, alio quopiam judicetur.*

Inst. Non licet supponere rem controversam: atqui de prædicto *medio*, utrum sit certum, controvertitur Scepticos inter et Dogmaticos; ergo supponi non debet tanquam certum.

Resp. Dist. maj. Non licet supponere rem controversam, quando per aliud certius ac notius probari et potest et opus habet, conc.; quando res controversa per aliud certius ac notius probari neque potest, neque opus habet, neg.

Porro, *medium* quo utuntur Dogmatici, nempe evidentia, ita notum ac certum est, ut nihil occurrat notius vel certius, quo ulterius probari vel possit vel opus habeat. Quid enim menti præsentius fingi potest, quam suæ functiones, quarum intime sibi conscia est? atqui evidentia, sive perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se, una est ex mentis functionibus; ergo, etc.

Et certe, fatentibus Pyrrhoniis apud Sextum Empiricum, ideo sensus intimus efficax est veritatis ar-

gumentum, quia invicta quadam propensione ad assentiendum nos rapit; eaque de causa profitentur non dubitare se de propriæ mentis existentia et ejus affectionibus, quæ per sensum intimum innotescunt: atqui pariter quarumdam propositionum evidentia, tum in speculativis, tum in moralibus, ejus naturæ est, ut a præbendo ipsis assensu nos continere non possimus. Hujusmodi sunt istæ propositiones: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. --- *Alteri ne feceris quod tibi fieri juste nolis*. Iis propositionibus quis assensum denegare queat? ergo evidentia non magis probatione indiget, quam sensus intimus, ac proinde jure ac merito a nobis assumitur, tamquam principium argumentationis.

Obj. 3. De omnibus dubitandum est, si mens humana non sit facultas certo cognoscens: atqui mens humana non est, etc.; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ea facultas est certæ cognitionis capax, quæ potest veritatem absque ullo errandi periculo percipere: atqui mens humana potest, etc. Sic veritatem hujus propositionis, *Bis duo dant quatuor* percipit absque ulla errandi formidine. Percipit enim bis duo et quatuor inter se convenire. Atqui illa convenientiæ perceptio est certissima. Ad illud quippe id unum requiritur, ut scilicet convenientia, quæ inter ideas percipitur, revera inter eas intercedat: atqui convenientia, quæ duas inter ideas percipitur, inter eas vere existit. Prius est enim reipsa inter ideas adesse convenientiam, quam eam percipi; quemadmodum prius est hominem revera deambulare, quam eum videam ambulantem; ergo mens humana veritatem potest certo percipere, ac proinde est facultas certo cognoscens.

Inst. Mens humana est errori obnoxia; ergo non est facultas certo cognoscens.

Resp. Dist. ant. Mens humana est errori obnoxia in aliquibus, conc.; in omnibus, neg.

Porro, mens humana est quidem errori obnoxia in aliquibus, cum scilicet judicat ex *motivo* incerto et fallaci; sed quando ipsius judicia *motivis* certis nituntur, tunc extra quodlibet erroris periculum constituta est. Existere autem *motiva* judiciorum certis-

sima, in superioribus articulis fuit demonstratum.

Subsumes: Atqui mens humana in omnibus est errori obnoxia: nam ideo mens humana errare potest, quia est finita: atqui in omnibus finita est; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Neque enim mens humana eam ob causam in errorem labitur, quod limitata sit; sed quia de rebus publicis prius judicat, quam tempus et diligentiam adhibuerit, ut earum ideas claras et distinctas habeat. Impediunt quidem mentis limites, ne omnia cognoscat; sed non obstant quominus nonnulla certo noverit. Hujusmodi sunt cognitiones, quæ evidentia vel alio *motivo* certissimo nituntur; ergo ex eo quod mens humana sit limitata, minime sequitur eam posse in omnibus errare.

Inst. Mens divina nunquam errat, quia infinita est; ergo e contrario mens humana in omnibus errat, quia finita est.

Resp. Neg. conseq. et parit. Mens divina infinita esse non potest, quin omnes prorsus perfectiones complectatur; a quolibet autem errore immunitas inter veras perfectiones recensetur. Contra vero ut mens humana sit finita, satis est eam omnes objectorum proprietates et respectus non cognoscere; sed non requiritur, ut in omnibus errori subjaceat. Quin imo dici non posset suis in cognitionibus certum habere; ergo ex eo quod Mens divina, utpote infinita, nunquam erret, perperam concluderetur mentem humanam in omnibus errare, quia finita est.

Inst. Inter divinam et humanam facultatem infinita esse debet distantia: atqui inter utramque non existeret hujusmodi distantia, si mens quidpiam certo cognosceret; ergo nihil certo cognoscit, ac proinde in omnibus est errori obnoxia.

Resp. Neg. min. Illæ enim facultates infinito distant intervallo, quarum una infinite superat alteram, sive quoad numerum cognitionum, sive quoad modum cognoscendi: atqui, licet mens humana quidpiam certo noverit, eam tamen infinite superat divina Intelligentia; 1. quoad numerum cognitionum: Deus enim omnia prorsus cognoscit, ipsique patent omnes rerum singularum proprietates et respectus

varii; mens autem paucissimas tantum veritates habet compertas: 2. quoad modum cognoscendi: Deus quippe unico intuitu, unica perceptione omnia simul comprehendit; mens autem humana pauculas cognitiones suas sensim acquirit, a magis notis ad minus nota pedetentim et laboriose progrediendo; divina ergo facultas humanam infinite superat, quamvis aliquid certo cognoscamus.

Inst. Distantia illa non est infinita, qua major dari potest: atqui assignari potest distantia major ea, quæ occurrit inter facultatem divinam et facultatem humanam aliquid certo cognoscentem; major quippe esset si mens humana nihil certo cognosceret; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Distantia enim quæ nulla est, major dici nequit: atqui distantia quæ assignatur tanquam major, nulla esset. Ut enim existat illa distantia, necesse est ex utraque parte dari facultatem cognoscentem: atqui utrinque non existeret facultas cognoscens; nihil enim certo percipere, et nullo modo percipere sunt quid unum et idem: atqui si mens humana nullo modo percipiat, tunc immerito diceretur facultas cognoscens, sed potius esset nihilum facultatis cognoscentis; nihilum vero non potest esse alicujus distantiæ terminus, siquidem nihili nullæ sunt proprietates.

Inst. alio modo: Ex eo quod mens finita sit, sequitur nullius rei proprietates omnes et respectus ab ea cognosci: atqui si nullius rei proprietates omnes et respectus mens humana cognoscat, jam nullam habet cognitionem certam, in omnibusque errare potest; ergo ex eo quod finita sit mens humana, sequitur eam in omnibus esse errori obnoxiam.

Resp. Neg. min. Non minus enim ridiculum est argumentum propositum, quam istud: nullus est qui omnes perfectiones, virtutes, divitias possideat; ergo nullus est homo qui aliquas perfectiones, virtutes et divitias habeat. Quis vero posterioris hujus ratiocinii insulsitatem non sentiat?

Inst. Nullius rei haberi potest cognitio certa, nisi constiterit inter illius rei attributa nullam esse repugnantiam: atqui id constare nequit, nisi omnes co-

gnoscantur proprietates; fieri enim potest, ut attributa ignota cum cognitis repugnent; ergo nullius rei haberi potest cognitio certa, quin exploratæ sint omnes illius proprietates.

Resp. Neg. min. Una enim et eadem res constare non potest attributis, quæ sese mutuo excludant; sic eadem figura rotunda simul et quadrata esse nequit, alioquin idem esset simul et non esset; ubi ergo percipitur duo secum attributa consentire, certum est proprietates iis attributis repugnantes ad rem eamdem non pertinere; ergo compertum esse potest, nullam inter attributa rei intercedere repugnantiam, quamvis omnes illius proprietates non cognoscantur.

Obj. 4. Si qua existeret cognitio certa, hæc foret cognitio propositionum vel universalium, vel singularium: atqui neutrum dici potest; ergo, etc.

Resp. Neg. min. quoad utramque partem. 1. Quidem datur cognitio certa propositionum universalium, quales sunt istæ, *Totum est majus sua parte; Omnis circulus est rotundus; Nullum triangalum est quadratum*. Illarum enim propositionum cognitio certa est, quæ nititur perceptione aut convenientiæ aut repugnantiæ idearum: atqui plurimæ sunt propositiones universales, quarum cognitio nititur, etc. Hujusmodi sunt quas modo protulimus; ergo 1. etc.

2. Datur cognitio certa propositionum singularium. Istæ enim, *Ego cogito, ego doleo,* sunt singulares: atqui certo cognoscuntur; sensu quippe intimo, quo nihil est menti præsentius, innotescunt; ergo 2. etc.

Inst. 1. Propositio singularis versatur circa res *contingentes;* atqui de rebus *contingentibus* non datur certitudo; ergo, etc.

Resp. 1. Neg. maj. ob suam nimiam universalitatem: Deus enim est aliquid singulare: atqui nefas fuerit Deum inter res *contingentes* recensere.

Resp. 2. Dist. min. De contingentibus non datur certitudo absoluta, conc. hypothetica, neg.

Certitudo absoluta est, quando res aliter se habere non potest, quæcumque fingatur hypothesis. Certitudo hypothetica ea est, quæ ab aliqua conditione, sive hypothesi pendet. Porro *contingentia* non abso-

lute quidem certa sunt, cum ita existant, ut possint non existere; sed hypotheticam admittunt certitudinem; v. gr. ex hypothesi quod cogitem, certus sum me existere; cogitare enim non potest nisi qui existit.

Inst. 2. Ad certam universalium cognitionem requiritur accurata singularium enumeratio; atqui impossibilis est hujusmodi enumeratio; ergo nulla esse potest certa universalium cognitio.

Resp. Dist. maj. Ad certam universalium cognitionem requiritur accurata singularium enumeratio, cum agitur de materia *contingenti*, conc. cum agitur de materia necessaria, neg.

Propositio dicitur esse in materia necessaria, quando inter ejus attributum et subjectum necessaria interest convenientia vel repugnantia, ut istis in propositionibus, *Omnis circulus est rotundus; Nulla creatura est æterna*.

Propositio contra dicitur in materia *contingenti* versari, cum attributum nonnisi per accidens subjecto convenit aut repugnat. Ita se habet utraque hæc propositio, *Homo est albus, homo est niger*.

Fateor equidem ad certam propositionum universalium cognitionem requiri omnium singularum enumerationem, ubi agitur de materia *contingenti*. Cum enim tunc attributum ita subjecto conveniat, ut possit ei non convenire, omnia subjecti individua seorsim expendenda sunt, priusquam affirmetur attributum singulis convenire. Sic quia albedo non competit homini, nisi per accidens, certa esse non potest ista propositio, *Omnis homo est albus*, nisi facta fuerint singulorum hominum enumeratio.

Longe autem aliter res se habet, cum propositiones in materia necessaria versantur, minimeque necesse est ut omnia recenseantur singularia. Tunc enim satis fuerit, ut attendatur ad subjecti in genere ideam. Sic absque omnium singularium enumeratione, certa est ista propositio, *Omnis circulus est rotundus*, quia mens percipit rotunditatem in idea circuli in genere contineri; ad certam igitur propositionum universalium cognitionem, quando in materia necessaria sitæ sunt, non opus est ut Philo-

sophus in enumerandis singulis subjecti individuis desudet.

Obj. 5. De singulis rebus naturalibus dubitandum est, si objectum cognitioni certum efficere non possunt: atqui res naturales non possunt, etc. ergo de iis singulis dubitandum est.

Resp. Neg. min. Ea quippe certum cognitionis objectum efficiunt, quæ nonnullis constant attributis immutabilibus, sine quibus nec esse, nec concipi possunt: atqui res omnes naturales, etc. Sic homo ex corpore et anima ita constat, ut alterutro sublato, penitus evanescat hominis idea; ergo res naturales certum cognitionis objectum constituunt.

Inst. Quod mutabile est, objectum certum efficere nequit: atqui res omnes naturales sunt mutabiles; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Quod mutabile est quoad essentiam, objectum certum efficere nequit, conc. maj. quod mutabile est quoad existentiam tantum, objectum, etc. neg. maj. dist. pariter min.

Fateor equidem illud non posse objectum cognitionis certum subministrare, cujus essentia foret mutabilis, id est, posset aliter et aliter se habere. Porro res quæcumque naturales sunt quidem mutabiles quoad existentiam, ita quippe existunt, ut possint non existere; sed quoad essentiam nullis sunt vicissitudinibus obnoxiæ. Nonnullis enim proprietatibus ita necessario constant, ut sine iis esse nequeant. Circulus v. gr. non potest sine rotunditate existere, nec corpus sine extensione.

Subsumes: Atqui res omnes naturales sunt quoad essentiam mutabiles: illud enim est quoad essentiam mutabile, cujus essentia pendet a Deo: atqui rerum naturalium essentia pendet a Deo; ergo res quæcumque naturales sunt quoad essentiam mutabiles.

Resp. Neg. min. Si enim rerum naturalium essentia penderet a Deo, posset Deus efficere, ut modo his, modo illis attributis *essentialibus* constaret. Sic, volente Deo, quadratura foret circulo necessaria, et rotunditas triangulo: atqui illud omnino repugnat. Tunc enim eadem figura esset simul et non esset

circulus, ac proinde idem esset simul et non esset; quod prorsus absurdum est; ergo rerum naturalium essentia non pendet a Deo.

Inst. Illud pendet a Deo, quod potest ab eo procreari vel non procreari: atqui rerum naturalium essentia, etc. ergo etc.

Resp. Neg. min. Essentiæ enim rerum naturalium metaphysicæ, id est, seorsim ab entis existentia spectatæ, nihil aliud sunt, quam veritates æternæ et immutabiles, quæ in mente divina sedem habent. Deus quippe ab æterno cognovit, quibus attributis constare deberent ea, quæ in tempore facturus erat: atqui nemo dixerit veritates illas potuisse a Deo procreari, vel non procreari; siquidem ab æterno existunt, neque aliter habere se possunt. Res quidem ipsæ naturales, pro summo Dei arbitrio, existere vel non existere possunt. At ipsarum essentiæ, quales intelligimus, nullam ex voluntate divina mutationem subire queunt: v. gr. penes Deum est circulum aut triangulum procreare, vel non procreare. At sive existant sive non existant, et quacumque hypothesi facta, veræ sunt istæ propositiones: In circulo omnia circumferentiæ puncta æqualiter a centro distant: in triangulo rectilineo, tres anguli duobus angulis rectis sunt æquales. Veritatem hanc uberius expositam videas in Ontologia, ubi de rerum essentiis disputatur.

Obj. 6. illa confutatio non valet, in qua supponitur quod negant adversarii: atqui in confutando Pyrrhonismo, id supponunt Dogmatici, quod negant Pyrrhonii; ergo non valet hujusmodi confutatio.

Resp. Neg. min. Tribus enim principiis in refellendo Pyrrhonismo utuntur Dogmatici; 1. scilicet possibile esse debere systema quod proponitur; 2. nec veritatis inquisitioni contrarium; 3. nec homine sapiente indignum; atqui tria hæc principia non possunt non admittere Pyrrhonii. 1. Quidem concedere tenentur, hominibus non proponendum esse systema philosophicum, nisi possibile sit: alioqui frustra proponeretur; nequicquam v. gr. persuadere vellet Philosophus, ut homines insitum sibi felicitatis amorem deponerent; illud enim naturæ nostræ penitus adversatur.

2. Non possunt non confiteri Pyrrhonii rejiciendum esse systema, quod veritatis inquisitioni noceat: res enim hic agitur cum iis Pyrrhoniis, qui veritatem inquirere se profitentur, quam nondum ab hominibus inventam esse existimant.

3. Inficiari nequeunt systema quodcumque esse debere homine sapiente dignum: omnes enim Pyrrhonii Philosophorum, id est, hominum sapientiæ studiosorum, nomine gloriantur; ergo fateantur necesse est hujusmodi dignitatem non esse deturpandam; ergo Dogmatici in sua cum Pyrrhoniis disputatione, iis utuntur principiis, quorum veritatem admittere coguntur ipsimet Pyrrhonii.

Præterea, juxta Pyrrhonios, certa sunt judicia de rerum *apparentiis*, sive de rebus in ordine ad nos, qualia sunt ista; *Lac mihi videtur dulce*: *Ego cogito*: *Ego doleo*: atqui hujusmodi judicia certa esse nequeunt, quin pariter certæ et veræ sint propositiones subsequentes: *Sensus intimus fallere non potest*: *Quidquid percipitur verum est*: *Cogitatio est possibilis*: *Homo dolori obnoxius est*; et aliæ plures, quæ ex prioribus derivantur: atqui tamen illæ propositiones pertinent ad res ut in se sunt; ergo Pyrrhonii propriis telis confodiuntur; ergo dum eos refellunt Dogmatici principia non adhibent, quæ a Pyrrhoniis concessa non fuerint.

Inst. Pyrrhonios non refellunt Dogmatici, nisi aliquid certi supponendo: atqui negant Pyrrhonii quidpiam esse certi; ergo supponunt Dogmatici quod negant Pyrrhonii.

Resp. Dist. maj. Dogmatici supponunt aliquid certi, quod fluat ex ipsis Pyrrhoniorum principiis, conc. maj. secus, neg. maj.

Itaque Pyrrhonii, qui de omnibus dubitare se profitentur, nulla quidem principia concedere possunt, quin opinionem suam ab ipsis fundamentis evertant: verum cum homini impossibile sit omnibus principiis nuntium remittere, inde contigit ut Pyrrhonii, vel inviti, quædam principia retinerent, ac proinde in apertam contradictionem sese conjecerint. Iis autem principiis, quasi totidem armis, utuntur Dogmatici ad Pyrrhonios debellandos, et quidem merito. Nam ju-

xta philosophicæ disputationis leges, quidquid ab adversariis conceditur, assumi potest tanquam argumentationis principium.

ARTICULUS V.

De errorum, quibus obnoxium est judicium, fontibus et remediis.

Quinque sunt præcipui errorum fontes, videlicet præcipitatio, præjudicium, voluntatis affectus, sensus et imaginatio.

Quæres 1. quid sit præcipitatio.

Resp. Inconsultum est de re non satis explorata judicium. Vitium illud frequentissime occurrit non solum in disciplinis addiscendis, verum etiam, quod gravius est, in moribus et vita civili. Nihil enim familiarius est, quam ex levi et ambiguo plerumque indicio, vixque præmissa ulla consultatione, homines accusare vel excusare, laudare aut vituperare. Nimia hæc in ferendis judiciis celeritas, ex qua tot scaturiunt errores, inde præsertim repetenda est, quod plerique homines sint maturæ investigationis impatientes. Quod vitium maxime viget in adolescentibus, qui violento ingenii impetu abrepti, vix primam rerum faciem raptim inspexere, cum assensum cohibere indociles, prorumpunt in judicia, et de re qualibet confidenter decernunt. Hujusmodi homines ad judicandum adeo præcipites, dixerim viatori similes, qui varias gentes cum perlustrasset obiter, de singulorum tamen urbium institutis, de populorum ingenio et moribus, de natura cujuscumque soli audacter pronunciaret.

Quæres 2. Quodnam remedium sit huic præcipitationi afferendum.

Resp. Eam si velis effugere, ad res considerandas tempus et diligentiam adhibeas. Cave ne claras et liquidas rerum perceptiones tuus præcurrat assensus, eumque prudens cohibeas, donec ad rerum notiones studiose attenderis. Quemadmodum enim qui tabellam fixis oculis inspicit, ipsius lineamenta et varia colorum discrimina clarius pervidet; ita etiam ubi in expendendis ideis diutius homines immo-

rantur, rerum natura et proprietates magis innotescunt. Non tamen singula æqualem postulant disputationem; sed major vel minor esse debet, prout ea, de quibus judicandum est, sunt obstrusa vel facilia, magni vel levis momenti; in iis, quæ ad vitæ civilis usum pertinent, non ita debemus esse morosi et anxii, ut nunquam prius agendum esse existimemus, quam præcesserit longa discussio. Adsunt enim aliquando fluxæ et præcipites rei gerendæ occasiones, quibus nisi manum promptus injicias, elabuntur illico, et evolant nunquam redituræ.

Quæres 3. quid sint præjudicia et unde nascantur.

Resp. Sunt anticipata quædam judicia, quorum *motiva*, judice ratione, nunquam exploravimus. Jam ab ipsa infantia teneros in animos irrepunt. Quisquis enim vitam ab incunabulis serio retexere voluerit, is profecto comperiet, cum lactea herbescensque ratio nihil haberet stabilitatis, tunc præjudicia, tempus opportunum nacta, suum animum turmatim occupasse. Nascuntur vero 1. ex anilibus fabulis quas avide excipiunt infantes, et quæ in cerebro vivide commoto altiora imprimunt vestigia. Hinc terrores puerorum, hinc superstitiosa credulitas in iis, quæ ad Religionem et mores spectant periculosissima; 2. ex sensuum impressionibus et testimoniis, quæ infirmæ rationi illudunt; 3. ab eorum auctoritate quos veneramur, et quorum verba totidem nobis videntur oracula. Præconcepta autem hæc judicia, postquam nobiscum in cunis veluti jacuerunt, nobiscum etiam sensim adolescunt, adeo ut habeamus quasi communes notiones, quas a natura hausimus, iisque nihil falsi suspicemur.

Quæres 4. quid facto opus sit, ut animus a præjudiciis sese eximat.

Resp. Rationis trutinam arripias severus, et opiniones a sensibus, ab educatione, a consuetudine, ab auctoritate citra justam causam acceptas libres immisericors. Quæ gravissimis rationum momentis præponderaverint, admittas; ceteras vero, ut adulterinas, procul a mente rejicias. Uno verbo eæ tantum retineantur, quæ post maturam discussionem, extra dubium positæ videbuntur, certaque ratione et inconcussis principiis confirmatæ.

Cavendum tamen ne præceptum illud suos ultra limites promoveatur. In iis enim, quæ auctoritate divina nituntur, et ingenii nostri captum longe superant, nefas est evidentiam quærere, aut ea curiosius perscrutari. Suas angustias agnoscat ratio humana, cujus tenuitas exiguam atomum vix complectitur. Summæ Dei auctoritati obsequiosa pareat, qui falli et fallere nescit, qui longe plura potest, quam concipere valeamus. Ubi agitur de rebus divinis, huic præclaræ Augustini sententiæ tenaciter adhærendum est: *Tota ratio facti, est potentia facientis*. (*Ep.* 137. *n.* 8.)

Quæres 5. an voluntatis affectus falsis judiciis locum aliquando præbeant.

Resp. Imperiosi voluntatis affectus, amor, odium, iracundia, pertinacia, superbia, spes, timor, mentem non semel ad falsa judicia impellunt. In plerisque enim hominibus, nedum voluntas rationi famuletur et obtemperet, rationi contra imperitat, eamque opprimit. Hinc dimanant tot prava judicia, quæ omnes pene disciplinas, totamque vitæ rationem conturbant. Quoties enim sola voluntatis propensione ducti, quasdam opiniones amplectimur, alias vero repudiamus? quæ placent veræ, quæ displicent falsæ statim judicantur. Plerumque rem ita esse statuimus, quod nostra intersit, ut res hoc modo se habeat. Si quis auctor nostram in benevolentiam irrepserit, levibus ratiunculis, etiam falsa persuadebit; alter vero, si nobis aliquo modo displicuerit, ne gravissimis quidem rationum momentis assensum nostrum obtinebit. Non paucos reperias qui, postquam opinionem aliquam velut sacram acerrime defenderunt, eam repentina quadam conversione deferant. Si in seipsos descenderent, suamque conscientiam serio interrogarent, facile esset deprehendere mutationem hanc novæ luminis accessioni non esse tribuendam, sed novis quibusdam et fallacibus voluntatis affectibus. Adeo verum est voluntatem suis deceptam cupiditatibus, intellectum corrumpere!

Quæres 6. quo pacto huic falsorum judiciorum causæ occurrendum sit.

Resp. Ne animus fiat voluntatis ludibrium ad se redeat unusquisque, tacitos mentis affectus exploret,

et iis, quantum fieri potest, depositis, unica rationis lance omnia expendat. Si animam quarundam cupiditatum quasi fluctibus paulo vehementius quassatam experiaris, a judicio ferendo cautus abstine, donec remiserit cupiditatis æstus, et plenior reddatur rationi libertas. Quemadmodum enim Solis imaginem non videas in aquis adumbratam, nisi limpidæ sint ac placidæ, ita nec veritas pacis amans, tuo sese nudabit animo, nisi sedata fuerit, et ab omni cupiditatum perturbatione expedita.

Quæres 7. quomodo sensus variis erroribus occasionem præbeant.

Respondeo illud inde fieri, quod ex sensuum impressione et testimoniis omnia plerique metiantur. Hinc terram, quæ a sensibus ut magna exhibetur, Sole ceterisque cælestibus corporibus longe majorem arbitrantur; hinc stellas exiguis faculis æquales autumant, quia ita referunt sensus. Quod sensus vivide commovet, ut palatia, picturæ, spectacula, tanquam aliquid magni mirantur; vitæ vero honestæ, virtutis, veritatis pulchritudine, quæ sensibus est impervia, vix afficiuntur. Dolores, morbos, mortem perhorrescunt, quia hæc omnia sensus nostros vehementer percellunt; errorem vero, peccatum, innocentiæ jacturam, quæ longe graviora sunt mala, sed quæ sub sensus non cadunt, pro nihilo reputant. Denique ex sensibus internuntiis, de rerum natura judicant, quamvis ut ad illam cognitionem nos deducerent, a Deo non fuerint concessi.

Quæres 8. quæ cautio adversus sensuum illusionem sit adhibenda.

Resp. Si velis sensuum deceptionem effugere, eorum ministerium suos ultra limites ne extendas. Ad illud autem munus a Deo sunt destinati, ut de relationibus, quas corpora, vel ad se invicem, vel ad corpus nostrum habent, nos admoneant. Cum autem rerum interiora non penetrent, ut de earum natura et proprietatibus absolutis pronuncietur, judices non sunt adhibendi. Alioqui gravissimos in errores prolaberemur.

Quæres 9. quid sit imaginatio, et cur inter errorum fontes numeretur.

Resp. Imaginatio, de qua speciatim disseremus in Metaphysica, vulgo dicitur ea mentis functio, qua sibi exhibet aliquid corporeum, quod actu sensuum organa non commovet. Quam fœcunda sit errorum parens nemo nescit. Speciosa enim quædam rerum simulacra fingit, quæ ipsarum rerum loco supponit, ita ut mens vana specie delusa, fugaces umbras pro veritate serio complectatur. Fictas hypotheses et fallacia somnia, ut totidem dogmata, de quibus dubitare sit nefas, menti obtrudit. Ne tibi illudat doctissima hæc in arte fingendi magistra, rationis fræno coerceatur, quam in rebus æstimandis non prævertat, sed docilis sequatur. De errorum fontibus et remediis consule exquisitum Opus, *De la Recherche de la vérité, etc.*

CAPUT II.

De Judicio extra mentem verbis prolato, sive de Propositione.

Sicut ideæ nominibus, ita judicia propositionibus exprimuntur. Hinc propositio definiri solet: *Oratio judicii interpres*. In ea tria continentur, nempe subjectum, attributum et copula. Quid iis nominibus intelligendum sit, in Philosophiæ Prolegomenis jam exposuimus. Dicendum, 1. de proprietatibus; 2. de speciebus propositionis.

ARTICULUS I.

De proprietatibus Propositionis.

Duplicis generis sunt, *absolutæ* nimirum et *relativæ*. *Absolutæ* sunt eæ, quæ uni propositioni seorsim ab aliis spectatæ competunt. *Relativæ* dicuntur illæ, quæ uni propositioni cum alia comparatæ conveniunt. Agendum 1. de absolutis, 2. de relativis.

PARAGRAPHUS I.

De proprietatibus Propositionum absolutis.

Proprietates absolutæ propositionum sunt ipsarum *quantitas* et *qualitas*, de quibus seorsim disserendum.

SECTIO I.

De quantitate Propositionis.

1. Quantitas propositionis est ipsius subjecti extensio. Quatruplex distinguitur propositio ratione quantitatis spectata, nimirum *universalis*, *particolaris*, *singularis* et *indefinita*.

Propositio universalis ea est, cujus subjectum secundum totam suam extensionem sumitur, et aliqua universalitatis nota afficitur, v. gr., *omnis*, *nullum*. Tales sunt istæ propositiones: *Omne corpus est divisibile: Nullus spiritus est mortalis*.

Propositio particularis illa est, cujus subjectum secundum aliquam tantum suæ extensionis partem accipitur, et aliqua *particularitatis* nota insignitur, v. g. *aliquis*, *quidam*. Hujusmodi est ista propositio: *Aliquis homo est doctus*.

Propositio *singularis* ea est, cujus subjectum est aliquid unum et singulare; quales sunt istæ: *Carthesius maximus fuit Philosophus; Hic homo est doctus*.

Propositio *indefinita* dicitur ea, cujus subjectum aliquid commune est; cui nulla præfigitur aut *universalitatis*, aut *particularitatis*, aut *singularitatis* nota. Talis est ista: *circulus est figura*.

2. Propositio duplici modo potest esse universalis, nempe vel *metaphysice*, vel *moraliter*. Propositio universalis est *metaphysice*, quando illius subjectum accipitur secundum omnem suam extensionem, sine ulla exceptione. Hujusmodi est ista propositio: *Omnis homo constat ex mente et corpore*.

Propositio universalis *moraliter* est ea, cujus sub-

jectum secundum totam fere extensionem sumitur, ita ut aliquam admittat exceptionem. Talis est ista: *Omnes senes sunt queruli*.

4. Propositio versari potest in materia vel *necessaria* vel *contingenti*. Dicitur esse *in materia necessaria*, cum attributum subjecto convenit vel repugnat necessario, id est, vel in idea subjecti includitur, vel ab ea excluditur, ut in istis propositionibus: *Homo est rationalis: Mens non est corporea*. Dicitur autem esse *in materia contingenti*, quando attributum nonnisi *accidentaliter*, ut ajunt, subjecto convenit aut repugnat, id est, in idea subjecti non continetur, neque ab ea repellitur, ut in ista propositione: *Homo est doctus*. His præmissis statuendæ sunt nonnullæ propositiones.

PROPOSITIO I.

Omnis propositio revocanda est ad universalem vel ad particularem.

Probatur: In omni probatione subjectum sumitur, vel secundum totam suam extensionem, vel secundum aliquam duntaxat partem; inter utrumque enim nihil medii datur: atqui si prius, propositio ad universalem revocanda; si vero posterius, ad particularem referenda est.

PROPOSITIO II.

Propositio singularis ad universalem revocanda est.

Probatur: illa propositio ad universalem revocanda est, quæ id ipsum habet, propter quod propositio dicitur universalis: atqui propositio singularis id ipsum habet, propter quod, etc. Nam propositio dicitur universalis, quia illius subjectum secundum omnem suam extensionem sumitur: atqui pariter subjectum propositionis singularis istius v. gr. *Petrus est homo*, secundum totam suam extensionem accipitur: licet enim intra unum coerceatur, non

potest tamen latius, vel strictius sumi quam pro uno homine, scilicet *Petro*. Unde extensio subjecti, quamvis minima, sumitur tamen tota quanta est et esse potest; ergo etc.

Obj. Propositio singularis ad particularem magis accedit, quam ad universalem; ergo revocari debet ad particularem.

Resp. Neg. ant. Nam propositio singularis ex duplici capite differt a particulari; nimirum 1. quia subjectum habet singulare, nec pluribus commune; 2. quia ipsius subjectum non restringitur; ex uno autem capite duntaxat ab universali discrepat, nempe quia ipsius subjectum est singulare, nec pluribus commune; ergo propositio singularis magis accedit ad universalem, quam ad particularem.

Inst. Propositio singularis magis accedit ad eam, cujus subjectum minus late patet: atqui subjectum propositionis particularis minus late patet, quam subjectum propositionis universalis; ergo propositio singularis magis accedit ad particularem, quam ad universalem.

Resp. Dist. maj. Propositio singularis ad eam magis accedit, cujus subjectum minus late patet, si spectes numerum subjectorum, sive inferiorum, conc. ratione legum, quas sequuntur propositiones, neg.

Revera si inferiorum sive subjectorum numerus et multitudo spectetur, propositio singularis majorem habet affinitatem cum propositione particulari, quam cum universali; subjectum enim propositionis singularis, cum non sumatur nisi pro uno, minus dicrepat a subjecto propositionis particularis, quod accipitur pro aliquibus tantum. At vero si propositionum leges attenderis, propositio singularis majorem habet cognationem cum universali, quam cum particulari. Nam propositio non ideo censetur universalis, quia illius subjectum late potest accipi; sed quia sumitur secundum totam quam habere potest extensionem: atqui subjectum propositionis singularis, licet ad unum restringatur, nihilominus secundum totam quam habere potest extensionem sumitur; ergo, etc.

PROPOSITIO III.

Propositio indefinita in materia necessaria revocanda est ad Propositionem metaphysice *universalem*.

Prob. Illa propositio revocatur ad universalem metaphysice, cujus subjectum ita late sumitur, ut nullum ex suis inferioribus excipiatur: atqui ita se habet propositio *indefinita*, quando versatur in materia necessaria. Tunc enim idea attributi includitur in idea subjecti: atqui quoties idea attributi continetur in idea subjecti, toties convenit omnibus et singulis inferioribus, quæ complectitur extensio subjecti. Exemp. gr. in ista propositione, *homo est rationalis*, sensus est, omnem, et quidem nullo excepto, hominem esse rationis participem.

PROPOSITIO IV.

Propositio indefinita in materia contingenti *est* moraliter *universalis, nisi ex circumstantiis sensum particularem habeat*.

Prob. 1. pars; Tunc propositio censetur *moraliter* universalis, quando ejus subjectum pro majori suorum inferiorum parte sumitur: atqui subjectum propositionis indefinitæ in materia *contingenti* sumitur, etc. Sint enim in exemplum istæ: *Senes sunt prudentes: Juvenes sunt inconstantes*: atqui subjectum harumce propositionum accipitur pro majori suorum inferiorum parte. Ad illud enim sensu revocantur: *Plerique senes sunt prudentes: Plerique juvenes sunt inconstantes*; ita ab omnibus intelliguntur; nonnulli quippe sunt senes imprudentes, et juvenes constantes; ergo, etc.

Prob. 2. pars; nempe propositionem indefinitam, quandoque ex circumstantiis sensum particularem trahere; sit in exemplum ista propositio, quam in Evangelio legimus: *Milites plectentes coronam de*

spinis imposuerunt super ejus caput (Christi): atqui hæc propositio intelligenda est de quibusdam, non vero de omnibus, neque etiam plerisque militibus, ut facile deprehendet, qui ad ipsius facti circumstantias vel leviter attenderit; ergo, etc.

Observatio.

Non satis accurata videtur regula, quam tradere solent plerique Logici, ne excepto quidem Auctore Artis cogitandi (*part.* 1. *cap.* 13. *observat.* 6. *versus finem*) scilicet docent propositionem indefinitam esse particularem, ubi factum aliquod narratur: quod aliquando falsum est; in ista enim propositione: *Homines a plurimis sœculis, non ultra centum et viginti annos vitam protrahunt,* factum aliquod narratur; et tamen moraliter universalis est præfata propositio. Itaque, ut sine errore de extensione propositionis indefinitæ pronuntietur, tutius est ad ipsas facti circumstantias attendere.

Quæres utrum ad universalem, an vero ad singularem, revocanda sit propositio, cujus subjectum est quædam natio, societas vel communitas; qualis est ista: *Romani vicerunt Carthaginenses*.

Resp. Hujusmodi propositionem quandoque ad universalem, quandoque ad singularem, nunquam ad particularem, esse revocandam. 1. Quandoque ad universalem: hæc v. g. propositio, *Romani a Romulo nomen et originem duxerunt,* ad omnes et singulos Romanos sine ulla exceptione pertinet. 2. Quandoque referenda est ad singularem. Exemp. gr. hæc propositio, *Romani vicerunt Carthaginenses*, non de omnibus et singulis Romanis intelligenda est, sed de tota Romanorum gente, quam repræsentabant, et cujus causam agebant selecti Duces, milites. Cum autem unaquæque societas spectetur tanquam persona moralis, eadem in longa sæculorum serie perseverans, inde fit ut omnibus tribuatur, quod aliqui tantum ceterorum nomine præstiterunt. Hinc recepto et usitato sermone dici potest, v. gr. Romanos, qui olim a Gallis victi sunt, eosdem, duce Cæsare, Gallorum victores extitisse, licet tempore Cæsaris,

nulli superstites remanerent Romani, ex iis qui a Gallis superati fuerant. Quam ob causam, de præclaris gentis suæ facinoribus gloriatur privatus quisque, quamvis eorum minime particeps fuerit. 3. Tandem hujusmodi propositiones nunquam ad particularem revocandæ sunt. Qui enim dicit: *Romani vicerunt Carthaginenses*, is non de aliquibus Romanis, verum de tota Romanorum gente, sermonem habet.

SECTIO II.

De qualitate propositionis.

Qualitas propositionis est ipsius affirmatio aut negatio, veritas aut falsitas. De singulis agendum.

PUNCTUM I.

De affirmatione aut negatione propositionis.

Propositio affirmans est ea, in qua attributum cum subjecto conjungitur: negans vero illa est, in qua attributum removetur a subjecto. De utraque nonnulla sunt principia, quæ ab affirmationis et negationis natura derivantur, et quorum cognitio maximi est momenti ad demonstrandas syllogismorum leges.

Principia, quæ propositiones affirmantes spectant.

Princip. I. Attributum propositionis affirmantis secundum suam omnem *comprehensionem*, dicitur de subjecto; per *comprehensionem* vero alicujus ideæ intelliguntur omnes proprietates *essentiales*, quas idea complectitur.

Explicatur: Attributum vi affirmationis ita cum subjecto jungitur, ut cum eo sit quid idem: atqui nisi attributum secundum totam suam *comprehensionem* diceretur de subjecto, jam non esset quid idem cum eo, siquidem aliqua *essentialis* proprietas attributi subjecto non tribueretur: v. g. in ista pro-

positione, *Homo est animal,* si attributum, nempe *animal* non affirmaretur secundum totam suam *comprehensionem* de subjecto, scilicet *de homine,* tunc homo aliqua *essentiali* proprietate animalis, ac proinde ipsa natura animalis fraudaretur; ergo, etc.

Princip. II. Attributum propositionis affirmantis dicitur de subjecto secundum totam extensionem, quam habet subjectum in propositione.

Explicatur: per affirmationem attributum cum subjecto ita consociatur, ut cum eo sit quid idem; ergo pariter est quid idem cum iis omnibus, quibus communis est natura et idea subjecti: atqui natura et idea subjecti omnibus suis inferioribus est communis; ergo quando attributum dicitur de subjecto, affirmatur etiam de singulis ejus inferioribus, id est sumitur secundum totam extensionem, quam habet subjectum in propositione. Hinc in ista affirmante, *Omnis homo est animal,* attributum *animal* sumitur secundum totam extensionem subjecti, , sive *hominis,* id est, affirmatur de singulis hominibus, scilicet *Petro, Paulo,* etc.

Princip. III. Attributum propositionis affirmantis non sumitur universaliter, sive secundum totam suam extensionem, vi affirmationis.

Explicatur: attributum vi affirmationis non sumitur universaliter, sive in tota sua extensione, si multæ sint propositiones affirmantes, quarum attributum universaliter non accipitur: atqui plurimæ sunt hujusmodi propositiones. Ita se habent istæ: *Omnis circulus est figura*: *Omnis homo est animal*. Si enim attributum generaliter et secundum totam suam extensionem sumeretur in præfatis propositionibus, hic foret illarum sensus: *Omnis circulus est omnis figura: Omnis homo est omne animal*: atqui illud absurdum est; ergo, etc.

Objicies: In ista propositione, *Homo est animal rationale,* attributum sumitur universaliter. Hic enim est illius sensus, *Homo est omne animal rationale :* atqui tamen hæc propositio est affirmans; ergo attributum propositionis affirmantis sumitur universaliter.

Resp. Dist. maj. Sumitur universaliter vi materiæ,

conc.; vi formæ, sive ipsius affirmationis, neg. porro cum præfata propositio et aliæ similes sint in materia necessaria et reciproca, idcirco attributum majorem non habet extensionem, quam subjectum, et ambo de se invicem universaliter sumptis affirmari possúnt. Sed illud materiæ, sive naturæ et conditioni subjecti et attributi adscribendum est, non autem affirmationi. Alioqui nulla esset propositio affirmans, cujus attributum non sumeretur universaliter; quod tamen falsum esse modo demonstravimus.

Principia, quæ propositiones negantes spectant.

Princip. I. Attributum propositionis negantis sumitur universaliter, sive removetur secundum totam suam extensionem a subjecto.

Explicatur: Per negationem attributum removetur a subjecto, a quo proinde excluduntur ea omnia, quæ naturam attributi habent; atqui omnia attributi inferiora ejus naturam retinent: nam quæcumque subjiciuntur generi, illius naturam participant; atqui omnia attributi inferiora, ipsi tanquam generi, subjiciuntur; ergo ipsius participant naturam; ergo pariter removentur a subjecto; ac proinde attributum propositionis negantis sumitur, sive removetur secundum totam suam extensionem a subjecto. Idcirco cum dicitur, *Nullus homo est lapis*, idem est ac si diceretur, *Homo nullus est lapis*.

Princ. II. Attributum propositionis negantis non sumitur secundum omnem suam *comprehensionem*.

Explicatur: Natura propositionis negantis in eo sita est, ut attributum removeatur a subjecto: atqui attributum, quamvis non sumatur in tota sua *comprehensione*, id est, secundum omnes suas proprietates, removeri potest a subjecto. Ad illud enim sufficit ut attributum a subjecto sit diversum; atqui ut alterum ab altero sit diversum, minime necesse est inter utrumque nihil esse commune; at satis est ut unum careat aliqua perfectione, sive proprietate, quæ reperitur in altero. Sic quando dicitur, *Corpus non est spiritus*, non idcirco negatur corpus

esse *substantiam*, quæ est perfectio in idea sive *comprehensione* attributi, id est *spiritus*, inclusa; ergo, etc.

PUNCTUM II.

De veritate et falsitate propositionis.

Quæres 1. quid intelligatur per propositionem veram aut falsam.

Resp. Propositio vera est ea, quæ objectum suum sicuti est enuntiat; v. gr. *Deus est summe bonus;* propositio falsa est ea, quæ objectum suum aliter quam est exprimit; v. g. *Deus est crudelis*.

Quæres 2. utrum omnis propositio Logica vera sit an falsa.

Resp. Alterutrum ipsi necessario convenit. Nam propositio *Logica* dicitur ea, quæ sensum habet fixum et determinatum: atqui omnis propositio hujusmodi, eo ipso vera est aut falsa; vel enim objectum suum sicuti est enuntiat, vel aliter quam est; non datur medium; atqui in priori casu vera est; in posteriori autem falsa; ergo, etc.

Quæres 3. utrum in qualibet propositione veritas sit eadem, ita ut non possit esse major vel minor.

Resp. Eadem semper est, nec potest esse major aut minor, quia nullibi suscipit magis et minus, sed ita est individua, ut vel tota sit, vel nulla. Veritas enim quælibet consistit in consensione cum objecto: atqui consensio illa vel tota, vel nulla est. Res nimirum quælibet vel cum sua regula et mensura congruit, vel non congruit; nihil datur medii; ergo, etc.

Quæres 4. Quomodo dijudicari possit veritas propositionis.

Resp. Inquirendum est genuinus propositionis sensus, et accurate ab alieno secernendum. Propositio enim potest esse vera aut falsa, prout hunc vel illum sensum habet. Quin imo eadem propositio potest esse vera simul et falsa, si nempe duplicem involvat sensum, et tunc *æquivoca* dicitur. Postquam vero germanum propositionis sensum fueris assecu-

tus, explorandum erit an attributum cum subjecto conveniat juxta illum sensum, quo intelligitur propositio.

Quæres 5. quotuplex esse possit sensus propositionis.

Resp. Dividitur potissimnm 1. in *naturalem* sive *proprium*, et in *extraneum* sive *alienum*. Sensus *naturalis*, sive proprius, ille est, quem habent voces ex sua institntione, aut quem exhibet antecedentium et consequentium contextus. Sensus vero *extraneus*, sive alienus, ille est, quem verba non habent ex sua institutione, neque ex antecedentibus et consequentibus.

2. Sensus naturalis et proprius duplex distinguitur, nempe *litteralis* et *metaphoricus*. Sensus *litteralis* ille est, quem præ se ferunt verba propositionis ex primaria sua institutione; v. g. quando vox *leo* sumitur pro animali rugiente: sensus *metaphoricus* est, cum primaria verborum significatio transfertur ad aliam, propter aliquam similitudinem, v. gr. quando vox *leo* pro viro forti accipitur.

3. Sensus propositionis dividitur in *compositum* et *divisum*. Dicitur *compositus* quando in propositione junguntur simul duo actus oppositi et insociabiles, ut in ista: *Dormientem vigilare possibile est*. In subjecto enim propositionis componuntur simul et junguntur actus dormiendi et actus vigilandi, qui sunt sibi invicem oppositi. Sensus *divisus* appellatur ille, qui actum aliquem jungit, non quidem cum actu opposito, sed cum potentia ad actum oppositum, ut in ista propositione, *Dormiens potest vigilare*. Ibi actus dormiendi consociatur, non cum actu, sed duntaxat cum facultate vigilandi. Unde prior propositio falsa est, posterior autem vera. Ideo sensus vocatur *divisus*, quia sejungit et quasi dividit actum ab actu opposito.

PARAGRAPHUS II.

De proprietatibus relativis propositionum.

Proprietates *relativæ* dicuntur eæ, quæ uni propositioni cum alia comparatæ conveniunt. Duæ potissimum sunt, nimirum *conversio* et *oppositio*.

SECTIO I.

De conversione propositionum.

In eo sita est *conversio* propositionum, quod subjectum attributi loco, et attributum subjecti loco subrogetur. Accurata propositionum conversio tota nititur quibusdam regulis, quarum aliæ sunt generales, aliæ speciales. A prioribus ad posteriores descendemus.

I. Regula generalis. Ut legitima sit propositionum conversio, servanda est in conversa, 1. affirmatio, si convertenda fuerit affirmans: 2. negatio, ubi convertenda est negans; 3. veritas.

Prob. 1. pars. Quando propositio convertenda est affirmans, tunc enuntiat attributum cum subjecto convenire; si vero conversa esset negans, enuntiaret idem subjectum cum attributo non convenire: atqui sane, postquam dictum fuit attributum cum subjecto convenire, legitime dici non potest subjectum cum attributo non convenire; ergo legitima non esset conversio, si propositio affirmans verteretur in negantem; ergo, etc.

Probatur 2. pars. Quando propositio convertenda est negans, tunc declarat attributum cum subjecto non convenire; si vero conversa esset affirmans tunc pronuntiaret subjectum cum attributo convenire: atqui profecto ridicule diceretur subjectum cum attributo convenire, postquam negatum fuit attributum cum subjecto convenire; accurata igitur non foret conversio, si propositio negans in affirmantem transformaretur; ergo, etc.

Prob. 3. pars, nempe propositionis convertendæ veritatem in conversa retinendam esse. Propositionis enim conversio fieri debet, illæsa ipsius veritate; alioqui nullius esset utilitatis ad detegendam propositionis convertendæ naturam.

II. Regula generalis. Ad legitimam propositionum conversionem, necesse est ut nullus terminus in propositione conversa universalius sumatur, quam in convertenda.

Prob. Postulat accurata conversio, ut nihil affirmetur aut negetur in propositione conversa, quod affirmatum vel negatum non fuerit in convertenda: atqui tamen si quis terminus in propositione conversa latius pateret, quam in convertenda, jam aliquid affirmaretur aut negaretur, quod affirmatum aut negatum non fuisset in convertenda; siquidem tunc plura jungerentur vel separarentur subjecti aut attributi inferiora in propositione conversa, quam in convertenda; ergo, etc.

Utraque hac regula generali nituntur speciales conversionis cujuslibet regulæ, quarum aliæ ad propositiones affirmantes, aliæ ad negantes pertinent.

Regulæ speciales ad propositionum affirmantium conversionem spectantes.

Reg. I. Propositio particularis affirmans, in aliam particularem affirmantem converti potest.

Prob. Tunc legitima est conversio, cum nullus terminus in propositione conversa sumitur universalius, quam in convertenda, et aliunde eadem remanet veritas: atqui si propositio particularis affirmans in aliam particularem convertatur, v. g. si ista propositio, *Aliquis homo est justus*, mutetur in istam, *Aliquis justus est homo*, 1. nullus erit in propositione conversa terminus universalior, quam in convertenda: in utraque nimirum et subjectum et attributum sumuntur particulariter; subjectum quidem, cum propositio sit particularis; attributum etiam, cum propositio sit affirmans: 2. in propositione conversa eadem servatur veritas, quæ erat in convertenda, ut patet; ergo, etc.

Reg. II. Propositio particularis affirmans converti non potest in aliam universalem affirmantem.

Prob. Nullus terminus latior esse debet in propositione conversa, quam in convertenda: atqui si propositio particularis affirmans, v. g. ista *Aliquis homo est animal*, in aliam universalem affirmantem verteretur, hoc scilicet modo, *Omne animal est homo*, jam terminus aliquis latior esset in conversa, quam in convertenda: subjectum enim propositionis universalis affirmantis, nempe *animal*, esset universale, dum in convertenda erat particulare, utpote attributum propositionis affirmantis; ergo, etc.

Reg. III. Propositio universalis affirmans converti non potest in aliam universalem affirmantem.

Prob. In propositione universali affirmante attributum est particulare: atqui si eadem propositio in aliam universalem affirmantem mutaretur, tunc idem attributum fieret universale; siquidem evaderet propositionis universalis subjectum: v. gr. si ista propositio, *Omnis homo est animal*, ita verteretur, *Omne animal est homo*, tunc attributum, *animal*, quod in priori propositione est particulare, in posteriori fieret universale: atqui nullus terminus accipi debet latius in propositione conversa, quam in convertenda; ergo, etc.

Quando tamen subjectum et attributum propositionis universalis affirmantis, æqualem habent extensionem, ita ut alterum altero latius non pateat, tunc propositio illa in aliam universalem converti potest. Sic ista propositio, *Omnis circulus est figura rotunda*, in aliam hanc transire potest, *Omnis figura rotunda est circulus*.

Reg. IV. Propositio universalis affirmans in particularem affirmantem converti potest.

Prob. Conversio enim legitima est, quoties nullus terminus in propositione conversa latius patet, quam in convertenda, et præterea in utraque eadem stat veritas: atqui ubi propositio universalis affirmans, ista v. gr. *Omnis homo est animal*, in particularem affirmantem transformatur, hoc scilicet modo: *Aliquod animal est homo*, tunc nullus terminus in propositione conversa latius sumitur, quam in conver-

tenda, ut satis patet; aliunde vero eadem in utraque remanet veritas; ergo, etc.

Regulæ speciales ad propositionum negantium conversionem pertinentes.

Reg. I. Propositio universalis negans converti potest in aliam universalem negantem.

Prob. Legitima est conversio, quando nullus terminus adhibetur latius in propositione conversa, quam in convertenda, et utrinque eadem manet veritas: atqui ubi propositio universalis negans, v. gr. ista, *Nullus circulus est triangulum*, in aliam universalem convertitur, hoc nimirum modo, *Nullum triangulum est circulus;* 1. Nullus terminus in conversa latius sumitur, quam in convertenda. Utrumque enim subjectum et attributum est universale; subjectum quidem utrumque, cum ambæ propositiones sint universales: utrumque etiam attributum, cum ambæ propositiones sint negantes; 2. propositionis convertendæ veritas, in conversa etiam retinetur illæsa; ergo etc.

Reg. II. Propositio universalis negans converti potest in particularem negantem.

Prob. Quia attributum universaliter sumptum in propositione convertenda, particulariter adhiberi potest in conversa, cujus fit subjectum, juxta præcedentem enim regulam, universaliter sumi potest in conversa; ergo multo magis licet illud particulariter sumere. Hæc v. g. propositio universalis negans, *Nulla mens est corpus*, recte mutatur in istam particularem, *Aliquod corpus non est mens*.

Reg. III. Propositio particularis negans non potest sive in universalem, sive in particularem negantem converti.

Prob. Vitiosa est conversio, quoties terminus aliquis in propositione conversa universalior est, quam in convertenda: atqui propositio particularis negans non posset, sive in universalem, sive in particularem negantem mutari, quin terminus aliquis universalior esset in conversa, quam in convertenda. Hæc enim propositio, *Aliquod animal non est homo*, vertatur

vel in istam generalem negantem, *Nullus homo est animal*, vel in istam particularem negantem: *Aliquis homo non est animal:* tunc subjectum propositionis convertendæ, scilicet *animal*, particulare est, utpote subjectum propositionis particularis; idem vero sumeretur universaliter in prædictis propositionibs conversis, siquidem in iis fieret attributum propositionis negantis; ergo, etc.

SECTIO II.

De Propositionum oppositione.

Dicendum 1. de natura; 2. de speciebus et proprietatibus; 3. de usu oppositionis propositionum.

PUNCTUM I.

De natura oppositionis Propositionum.

Oppositionis nomine hic intelligitur duarum propositionum pugna, vi cujus una refellit alteram. Tunc autem propositio dicitur alteram refellere, quando ex veritate unius propositionis sequitur falsitas alterius: hujusmodi sunt istæ propositiones, *Corpus est substantia: corpus non est substantia;* vel istæ, *Circulus est rotundus: circulus est quadratus.*

Quæres 1. utrum duæ propositiones negantes esse queant oppositæ.

Resp. Non possunt. Ad oppositionem enim propositionum requiritur, ut ex veritate unius sequatur falsitas alterius: atqui cum duæ propositiones sunt negantes, ex veritate unius non sequitur falsitas alterius. Sic istis in propositionibus, *Circulus non est quadratus: Circulus non est triangularis*, neutrius veritas importat falsitatem alterius. Inde colligendum est propositionem negantem refelli non posse, nisi per aliam affirmantem.

Quæres 2. utrum duæ propositiones affirmantes oppositionem admittant.

Resp. Admittunt: illæ enim propositiones esse queunt oppositæ, quarum una potest alteram refel-

lere: atqui ita se habent duæ propositiones affirmantes. Ex unius quippe veritate sequi potest alterius falsitas; quando scilicet duo attributa sibi invicem repugnantia, de eodem affirmantur subjecto. Si v. g dixeris: *Circulus est rotundus, Circulus est quadratus*, ex eo quod unum ex illis attributis subjecto conveniat, recte sequitur eidem disconvenire alterum: idcirco si una propositionum vera supponatur, altera sit falsa necesse est.

Quæres 3. undenam repetenda sit propositionum affirmantium oppositio.

Resp. Desumenda est ex affirmatione. qua duo repugnantia tribuuntur eidem subjecto. Sint enim istæ propositiones affirmantes, *Circulus est rotundus, Circulus est quadratus*, in quibus de eodem subjecto, nempe circulo, affirmantur attributa duo sibi invicem repugnantia; duæ, inquam, istæ propositiones sunt oppositæ, siquidem una refellit alteram. Ex eo quod enim prior sit vera, sequitur posteriorem esse falsam; attributa enim sese mutuo repellentia, eidem subjecto convenire non possunt.

Quæres 4. utrum oppositæ esse queant duæ propositiones, quarum una est affirmans, et altera negans.

Resp. Ita profecto, quia una potest alteram refellere; fieri enim potest, ut quod una de subjecto affirmat, illud idem neget altera. In exemplum sint istæ propositiones: *Petrus est doctus: Petrus non est doctus:* atqui ex iis una refellit alteram, siquidem ex veritate unius necessario sequitur falsitas alterius.

Quæres 5 undenam repetenda sit oppositio propositionum, quarum una est affirmans et altera negans.

Resp. Petenda est ex affirmatione et negatione unius de eodem, sub eodem respectu. Tunc enim vera est oppositio inter propositiones, quando una refellit alteram: atqui, posita affirmatione et negatione unius de eodem, sub eodem respectu, una propositio refellit alteram. Sint enim istæ propositiones, quarum una affirmat, et altera idem negat de eodem et sub eodem respectu; *Omnis homo est ju-*

stus, Nullus homo est justus: ex iis una non potest esse vera, quin altera sit falsa. Si enim verum supponatur *omnem hominem esse justum,* falsum profecto erit *nullum hominem esse justum,* aut vice versa. Similiter in istis: *Aliquis homo est justus, Nullus homo est justus,* quia prior vera est, sequitur falsam esse posteriorem.

PUNCTUM II.

De oppositionum speciebus et proprietatibus.

Quæres 1. quotuplex sit propositionum oppositio.

Resp. Duplex, nempe *contradictoria* et *contraria*. Totuplex enim admitti debet propositionum oppositio, quotuplex est modus, quo una propositio potest alteram refellere: atqui duplex est ille modus. Vel enim una minus dicit quam necesse est ad refellendam alteram; vel præcise enuntiat quod sufficit ad refutandam alteram; vel plus dicit quam requiritur ad refellendam alteram: atqui 1. si una propositio minus dicit quam necesse est ad refellendam alteram, eo ipso nulla est oppositio; siquidem tunc una propositio non refellit alteram. 2. Si una propositio præcise enuntiat quod sufficit ad refutandam alteram, tunc oppositio est *contradictoria,* et propositiones dicuntur *contradictoriæ,* cujusmodi sunt istæ: *Circulus est rotundus, Circulus non est rotundus*; vel, *Omnis figura est extensa, Aliqua figura non est extensa*. 3. Si una propositio plus dicit quam requiritur ad refellendam alteram, tunc oppositio est *contraria,* et propositiones vocantur *contrariæ;* quales sunt istæ: *Omnis homo est justus, Nullus homo est justus*; vel, *Omnis figura est extensa, aliquæ figuræ non sunt extensæ*. Ad refellendam enim hanc propositionem, *Omnis homo est justus,* satis est ut vel unus homo non sit justus. Pariter ad refellendam istam, *Omnis figura est extensa,* sufficit ut dicatur, *Aliqua figura non est extensa*.

Quæres 2. quotuplicem oppositionis speciem admiserint veteres Philosophi.

Resp. Quadruplicem. Nam præter *contrarias* et *contradictorias*, de quibus modo sermonem habuimus, admiserunt *subcontrarias* et *subalternas*. *Subcontrarias* dicunt eas propositiones, quarum altera est particularis affirmans, altera particularis negans, v. gr. *Aliquis homo est justus: Aliquis homo non est justus*. Vocantur *subcontrariæ*, quia sub contrariis constitutæ sunt; propositiones enim particulares sub universalibus continentur: *Subalternas* appellant duas propositiones, quarum una est universalis et altera particularis, sive ambæ sint affirmantes, sive negantes. Tales sunt istæ: *Omnis homo est justus, Aliquis homo est justus*, --- *Nullus homo est justus, Aliquis homo non est justus*. Ideo *subalternæ* dictæ sunt, quod una sit quasi sub altera, propositio nimirum particularis sub universali.

Quæres 3. utrum propositiones *subcontrariæ* et *subalternæ* vere sint oppositæ.

Resp. Nullo modo sunt: 1. quidem nulla est oppositio inter *subcontrarias*, v. gr. inter istas, *aliquis homo est justus*: *Aliquis homo non est justus*. Subjectum enim prioris diversum est a subjecto posterioris. Nam *aliquis homo* qui est justus, non est *aliquis homo* qui non est justus. 2. Nulla etiam est pugna inter *subalternas*, siquidem ambæ sunt affirmantes, et una continetur in altera, v. gr. particularis affirmans *Aliquis homo est justus*, in universali affirmante *Omnis homo est justus*; particularis etiam negans *Aliquis homo non est justus*, continetur in universali negante *Nullus homo est justus*.

Quæres 4. quænam sint oppositionum proprietates.

Resp. Quæstionem hanc solvent propositiones sequentes.

PROPOSITIO I.

Propositiones contradictoriæ, nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt.

Prob. 1. pars. Idem non potest esse simul et non esse: atqui tamen id contingeret, si ambæ propositiones

contradictoriæ essent veræ. Tunc enim attributum cum subjecto conveniret simul et non conveniret. 1. Quidem conveniret, cum ex hypothesi vera esset propositio affirmans attributum cum subjecto consentire. 2. Non conveniret, quia vera esset propositio negans attributum cum subjecto consentire; ergo, etc.

Prob. 2. pars. Ex eodem axiomate, idem non potest esse simul et non esse: atqui duæ propositiones contradictoriæ non possent esse falsæ, quin idem esset simul et non esset. Si enim falsa foret propositio affirmans, tunc perperam enuntiaretur attributum cum subjecto convenire; ergo reipsa non conveniret. Si falsa etiam esset propositio negans, jam falso negaretur attributum cum subjecto convenire; ergo revera conveniret. Falsæ igitur esse non possent duæ propositiones contradictoriæ, quin attributum cum subjecto conveniret simul et non conveniret, ac proinde idem esset simul et non esset, ergo, etc.

COROLLARIUM.

Cum duæ propositiones contradictoriæ, simul veræ, aut simul falsæ esse nequeant, ex veritate unius sequitur falsitas alterius.

PROPOSITIO II.

Propositiones contradictoriæ medium non admittunt.

Prob. Ex duabus propositionibus contradictoriis una præcise negat quod affirmat altera: atqui cum una propositio id præcise negat quod affirmat altera, inter eas nihil medii esse potest. Hinc sequitur ex duabus propositionibus contradictoriis fieri posse propositionem disjunctivam, quæ necessario sit vera: v. g. duæ istæ, *Omnis homo est justus, aliquis homo non est justus*, converti queunt in propositionem hanc disjunctivam, *vel omnis homo est justus, vel aliquis homo non est justus;* quæ quidem necessario vera est, quia duas inter contradictorias nihil medii intercedit.

PROPOSITIO III.

Propositiones contrariæ simul veræ esse nequeunt, sed possunt esse simul falsæ.

Prob. 1. pars. Contrariæ sunt istæ propositiones: *Omnis homo est justus, Nullus homo est justus:* atqui simul veræ esse nequeunt. Si enim vera est hæc propositio, *omnis homo est justus,* multo magis vera est ista, *aliquis homo est justus;* atqui tamen posterior hæc propositio vera esse non potest simul cum altera, *Nullus homo est justus,* siquidem contradictoriæ sunt istæ propositiones, *Aliquis homo est justus, Nullus homo est justus;* ergo multo minus vera esse potest hæc propositio, *Omnis homo est justus,* simul cum ista, *Nullus homo est justus;* ergo etc.

Prob. 2. pars: nempe falsas esse posse duas propositiones contrarias. Cum enim una plus dicat quam necesse est ad refellendam alteram, inter utramque dari potest propositio media, ex cujus veritate sequatur falsitas utriusque contrariæ: v. gr. inter istas: *Omnis homo est justus, Nullus homo est justus,* datur media hæc propositio, et quidem vera, *aliquis duntaxat homo est justus,* ex cujus veritate sequitur falsitas utriusque contrariæ. Si enim verum sit aliquem duntaxat hominem esse justum, falsum erit et omnem hominem esse justum, et nullum hominem esse justum; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ex eo quod ambæ propositiones contrariæ simul esse veræ nequeunt, sequitur ex veritate unius inferri posse falsitatem alterius: cum autem ambæ esse queant falsæ, veritas unius concludi non potest ex falsitate alterius.

PUNCTUM III.

De usu oppositionis propositionum.

Apud Logicos et Theologos frequens est propositionum contradictoriarum usus. Si qua enim propositio in controversiam adducta fuerit, ut ipsius veritatem aut falsitatem exponant, ad propositionem contradictoriam confugere solent. Non abs re igitur erit hic brevem attexere inveniendæ contradictoriæ methodum. Nunc vero intra propositiones simplices nos continebimus. Quo pacto ceteris propositionibus contradicatur, indicabimus in articulo sequenti, ubi de præcipuis propositionum speciebus disseremus.

PROBLEMA I.

Data propositione universali, invenire contradictoriam.

Nota. Propositio universalis potest esse in ordine vel *metaphysico*, vel *physico, vel morali*. Propositio universalis in ordine *metaphysico* ea est, cujus attributum in idea subjecti includitur, vel ab ea excluditur, qualis est ista, *Omnis homo cogitat*. Hujusmodi propositio nullam patitur exceptionem, etiam per miraculum.

Propositio universalis in ordine *physico* illa est, cujus attributum subjecto convenit aut repugnat, ex hypothesi quod serventur naturæ leges; v. g. *Flumina non revertuntur ad suam originem*; propositiones illæ exceptionem patiuntur per miraculum.

Propositiones universales in ordine *morali* sunt eæ, quarum attributum vulgo et juxta communem judicandi consuetudinem, subjecto convenit aut repugnat. Hujusmodi est ista, *Omnes juvenes sunt inconstantes*, illæ autem propositiones exceptionem admittunt, etiam citra miraculum: his præmissis.

Resp. 1. Propositio universalis in ordine *metaphysico*, quando est affirmans, contradicitur per propositionem particularem negantem, si vero sit negans,

per propositionem particularem affirmantem: hæc v. gr. propositio, *Omnis circulus est rotundus*, recte per istam contradicitur, *Aliquis circulus non est rotundus*, hæc enim posterior id præcise negat quod affirmat altera.

Resp. 2. Si propositio universalis versetur in ordine *physico*, et sit affirmans, ejus contradictoria erit particularis negans. Ubi vero est universalis negans contradicetur per propositionem particularem affirmantem; sed addendæ sunt voces istæ, *servatis naturæ legibus*: hæc v. gr. propositio, *Nullum flumen revertitur retrorsum*, pro contradictoria istam habet, *Aliquod flumen, servatis naturæ legibus, convertitur retrorsum*; nisi enim adderentur præfatæ voces, non affirmaretur præcise quod in propositione universali negatum intelligitur; illius enim sensus est, nullum flumen, servatis naturæ legibus, retro fluere.

Resp. 3. Ut habeatur contradictoria alicujus propositionis *moraliter* universalis, resolvenda est in aliam, quæ accurate exprimat quod per illam significatur. Quo facto, habebitur contradictoria, tollendo vel addendo particulam negativam *non*, prout affirmans vel negans erit propositio cui contradicitur. Sit v. g. ista propositio, *Omnes juvenes sunt inconstantes*; illius sensus est plerosque juvenes esse inconstantes, ipsius ergo contradictoria erit ista, *plerique juvenes non sunt inconstantes*.

PROBLEMA II.

Data propositione singulari, invenire contradictoriam.

Si propositio singularis sit affirmans, ipsius contradictoria erit propositio singularis negans, quæ eodem subjecto et attributo constabit. Ubi vero est negans, tunc per aliam propositionem singularem et affirmantem contradicitur. Sic ista propositio, *Petrus non est doctus*, hanc habet contradictoriam, *Petrus est doctus*, una quippe id præcise negat, quod affirmat altera.

PROBLEMA III.

Data propositione particulari, invenire contradictoriam.

Propositio particularis quando est negans, contradicitur per universalem affirmantem; ubi vero est affirmans, per universalem negantem. Hujus v. gr. propositionis, *Aliquis homo est justus*, contradictoriam tibi offert ista, *Nullus homo est justus*, ut ex se patet.

PROBLEMA IV.

Propositionis indefinitæ contradictoriam assignare.

Ex iis quæ diximus, ubi de quantitate propositionis, sequitur propositionem *indefinitam* revocari vel ad universalem metaphysice, vel ad universalem moraliter, vel ad particularem. Si velis igitur veram assignare contradictoriam propositionis *indefinitæ*, attendas ad quam propositionem referri debeat, et tunc illius contradictoriam facile deprehendes, adhibendo scilicet methodum modo expositam, de inveniendis propositionum universalium aut particularium contradictoriis.

ARTICULUS II.

De speciebus propositionis.

Propositio spectari potest ratione vel quantitatis, vel qualitatis, vel formæ et materiæ, vel ratione usus in quem adhibetur. Considerata ratione *quantitatis*, dividitur *in universalem, particularem, singularem* et *indefinitam*, ut antea diximus. Ratione *qualitatis*, distribuitur in *affirmantem* et *negantem*, in *veram* et *falsam*, ut jam alibi expositum fuit. Dicendum itaque nobis superest, 1. de speciebus propositionis ratione tum formæ, tum materiæ; 2. de

divisione propositionis spectata ratione usus ad quem adhibetur.

PARAGRAPHUS I.

De speciebus propositionis ratione formae et materiae.

Quæres 1. quotuplex sit propositio ratione formæ.

Resp. Dividitur in *absolutam* et *modalem*. Absoluta est ea, quæ attributum affirmat aut negat de subjecto simpliciter; id est, quæ non exprimit modum, quo subjecto convenit aut repugnat attributum; qualis est ista, *Materia est divisibilis*. Hunc vero modum enuntiat propositio *modalis*, ut si quis dixerit, *Materia est necessario divisibilis*.

Quæres 2. quotuplex sit propositio ratione materiæ.

Resp. Propositio spectata ratione materiæ, sive terminorum ex quibus constat, nempe subjecti et attributi, triplex distinguitur, nimirum *simplex*, *complexa et composita*.

Quæres 3. quandonam simplex sit propositio, quandonam complexa.

Resp. Propositio *simplex* ea est, quæ ita unicum habet subjectum et attributum, ut neutrum sit terminus complexus. Talis est ista: *Deus est justus*. Propositio autem *complexa* ea dicitur, cujus subjectum vel attributum, vel utrumque est terminus complexus, id est, annexum habet alterum nomen adjectivum. Ex. gr. *Deus omnipotens creavit mundum periturum*. Nomen adjectivum subjecto vel attributo connexum æquivalet propositioni, cujus subjectum est pronomen *qui, quæ, quod*, v. gr. ista propositio complexa, *Deus omnipotens est mundi creator*, eadem est ac si diceretur, *Deus, qui est omnipotens, est mundi creator*. Hæc autem propositio, *qui est omnipotens*, appellatur *incidens*. Gallice *proposition incidente*, eo quod in propositionem principalem incidat.

Quæres 2. quodnam sit propositionis incidentis munus.

Resp. Duplex est: 1. enim aliquando distinctius tantum explicat subjecti ideam et significationem, et

tunc sublata propositione incidente, sua nihilominus propositioni principali constabit veritas. Ex. g. ista propositio, *Homines, qui sunt mortales, semper ad mortem parati esse debent*, sublata propositione incidente, *qui sunt mortales*, suam retinet veritatem. Vera quippe est hæc propositio: *Homines semper ad mortem parati esse debent*.

2. Propositio *incidens* aliquando subjecti ideam et significationem determinat et restringit, tunc vero si propositionem incidentem sustuleris, vulgo falsa erit propositio principalis: v. gr. ista propositio: *Omnes qui pie vixerint, salvabuntur*, falsa erit, sublata propositione incidente, *qui pie vixerint*: vere enim dici non potest, *omnes salvabuntur*.

Quæres 5. quid sit propositio composita.

Resp. Propositio *composita* dicitur ea, cujus subjectum vel attributum vel utrumque simul est multiplex; ita se habet ista: *Mens et corpus sunt substantiæ*. Idem enim est ac si diceretur, *mens est substantia; corpus est substantia*. Hinc ejusmodi propositio dicitur *composita*, quia multas complectitur propositiones.

Quæres 6. quotuplex sit propositio composita.

Resp Plurimæ sunt illius species, ex quibus nonnullas omittere jubent ulteriora. Præcipuæ autem sunt *copulativa, disjunctiva, conditionalis, causalis, relativa* et *discretiva*.

1. Propositio *copulativa* ea est, quæ duo vel plura simul connectit, et cujus partes junguntur per particulas copulantes *et, atque, nec, neque*. Hujusmodi propositionum duplex præsertim genus distinguitur. 1. est affirmativum, quarum partes sociantur vinculo particularum *et, atque*: v. gr. *Mors et vita pendent a Deo*. 2. est negativum, quarum membra copulantur per particulas *nec, neque*, ex. gr. *Nec divitiæ, nec honores faciunt hominem beatum*. Ad veritatem propositionis *copulativæ* requiritur ut veræ sint singulæ illius partes, de quibus idem affirmatur aut negatur. Hinc falsa est ista: *Virtus et divitiæ ad salutem sunt necessariæ;* potest enim salus sine divitiis obtineri.

Propositio *copulativa* contradicitur, conjunctionem

negando. Hæc, v. g. propositio: *Tullius fuit Orator et Philosophus*, per istam contradicitur, *Tullius non fuit Orator et Philosophus*. Altera hæc propositio: *Nec divitiæ, nec honores faciunt hominem beatum*, istam habet sibi contradictoriam, *Seu divitiæ, seu honores faciunt hominem beatum*.

2. Propositio *disjunctiva* ea est, cujus membra simul devinciuntur per particulas disjunctivas, *aut, vel, sive*. Talis est ista: *Actus omnis deliberatus, bonus est aut malus*. Ad hujus propositionis veritatem necesse est, ut inter oppositas illius partes nihil sit medii. Hinc vera est ista: *Omnis substantia vel spiritualis est, vel corporea;* sed falsa est hæc altera: *Omnis homo vel sua utilitate, vel metu ducitur*. Sunt enim homines, qui nec sua utilitate, nec metu ducantur.

Propositionis *disjunctivæ* contradictoriam obtinebis, si disjunctionem negaveris. Hæc v.g. propositio: *Vel sol circa terram, vel terra circa solem movetur*; per istam contradicitur: *Neque sol circa terram, neque terra circa solem movetur*.

3. Propositio *conditionalis* ea est, quæ duabus constat partibus inter se colligatis per conditionales particulas, *si modo*. Talis est ista: *Si mens humana est spiritualis, est etiam immortalis*. Pars prior, quæ scilicet particulam conditionalem includit, vocatur *antecedens*, altera vero, *consequens*.

Veritas illius propositionis tota pendet ab utriusque partis connexione, ita ut, licet ambæ partes sint falsæ, veram tamen efficiant propositionem. Ista v. gr. *Si materia cogitat, anima nostra potest esse materialis*, vera est, quamvis falsum sit et materiam cogitare, et animam esse posse materialem. In eo sita est illius veritas, quod ex cogitatione in materiam admissa, sequatur animam esse posse corpoream.

Contra vero, licet ambæ partes veræ sint, falsa tamen erit propositio conditionalis, si inter eas nulla sit cohæsio, ut in ista: *Si David fuit Rex, fuit etiam justus*. Nullus enim est nexus inter utramque hujus propositionis partem.

Habebitur propositionis conditionalis contradictoria, negando legitimam esse inter geminas illius par-

tes connexionem. Hæc v. g. propositio: *Si homo sit dives, beatus erit,* contradicitur per istam: *Etiamsi homo sit dives, non ideo erit beatus*.

4. Propositio *causalis* duas habet partes, his particulis quæ dicuntur *causales, quia, quoniam, enim, ideo,* aliisque similibus devinctas; quale est illud Virgilii: *Possunt quia posse videntur*. Ad propositionis *causalis* veritatem duo sunt necessaria. 1. ut veræ sint ambæ illius partes, siquidem utraque absolute enuntiatur. 2. ut pars una sit alterius causa; id quippe affirmatur. Hinc, quamvis verum sit hominem esse et rationalem, et animal, falsa tamen est ista propositio *causalis*: *Homo est rationalis, quia est animal*. Inter utramque enim partem nulla intercedit connexio, neque una est alterius causa.

Propositionis *causalis* contradictoriam invenies, præcise inficiando unam partem esse alterius causam; v. gr. hæc propositio, *Petrus est infelix, quia sub tali sidere natus fuit,* per istam contradicitur: *Petrus non infelix est, quia sub tali sidere natus fuit*.

5. Propositio *relativa* ea dicitur, cujus membra simul colligantur particulis, *qualis, talis, tantum, quantum,* et aliis quamdam relationem exprimentibus. Hujusmodi sunt istæ: *Tanti es, quantum habeas: Qualis vita, talis mors*. Ad illarum propositionum veritatem necesse est ut existat relatio per eas expressa. Hinc falsa est ista: *Tanta est mens, quantum corpus*. Mens enim et corpus nullam secum invicem habent affinitatem ratione magnitudinis.

Propositionis *relativæ* contradictoriam exhibebis, negando accuratam esse inter duas illius partes relationem. Ex. g. hæc propositio: *Qualis pater, talis filius,* per istam contradicitur, *Qualis pater, non talis filius*.

6. Propositio dicitur *discretiva,* cujus membra junguntur per adversantes particulas, *sed, tamen, non*. Tales sunt istæ: *Veritas fatigari potest, sed vinci non potest*. *Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt*.

Ad veritatem ejusmodi propositionum requiritur,

1. ut ambæ partes veræ sint, cum utraque absolute affirmetur. Idcirco falsa est ista: *Fortuna divitias auferre potest, sed honores non potest*. 2. Ut inter utramque partem aliqua sit oppositio, vel disparitas, alioqui nugatoria esset propositio, ut patet ex ista: *Judas fuit avarus et tamen proditor;* hæc enim duo minime opponuntur.

Propositionis *discretivæ* contradictoriam efficies, præcise negando vel oppositionem, vel disparitatem, inter illius partes enuntiatam: v. gr. hæc propositio: *Fortuna divitias auferre, non animum, potest*, per istam contradicitur: *Fortuna divitias auferre, simul et animum potest*.

PARAGRAPHUS II.

De speciebus propositionis in ordine ad usum.

Propositio spectatur in ordine ad usum, ubi consideratur ratione diversarum quas habere potest functionum, et propter quas Philosopho utilis est ad eum, quem sibi proponit finem.

Quæres 1. quotuplex sit propositio considerata in ordine ad usum.

Resp. Multiplicis est generis. Namque adhibetur propositio vel ad explicandam rei naturam, et tunc appellatur *definitio;* vel ad dividendum totum in suas partes, et vocatur *divisio;* vel exprimit veritatem adeo manifestam ut nequeat in dubium revocari, et dicitur *axioma;* vel continet veritatem aliquam generalem, ex qua, velut rivuli e fonte, derivantur plures aliæ veritates particulares, et tunc nuncupatur *principium;* vel eo fine probatur, ut inserviat ad aliarum propositionum demonstrationem, et nominatur *lemma;* vel enuntiat proprietatem aliquam objecti, prout demonstrandam, v. gr. *triangulum æquivalet duobus angulis rectis*, et tunc appellatur *theorema;* vel exprimit aliquam operationem circa objectum conficiendam, v. gr. cum dato triangulo, postulatur ut aliud priori æquale describatur, et tunc dicitur *problema;* vel evidenter sequitur ex

propositione demonstrata, et nomen habet *corollarii*; vel ulteriorem propositionis alicujus explicationem subjungit, ut nihil obscuritatis, nihilque dubii remaneat, et dicitur *scholium*. Inter prælatas autem propositiones, principem locum obtinent *definitio* et *divisio*. Cum vero definitionis naturam et leges jam exposuerimus in Philosophiæ Prolegomenis, superest ut quæ pertinent ad divisionem breviter explicemus.

Quæres igitur 2. quænam sit divisionis natura, quænam ipsius dotes.

Resp. Divisio est distributio, vel totius in suas partes, vel generis in suas species. Prior divisio vocatur *partitio*, posterior *divisionis* nomen retinet. Ad legitimam divisionem tres requiruntur conditiones. 1. Ut integra sit, id est, ut accurata fiat partium, sive specierum enumeratio; alioqui dici non posset totum fuisse in suas partes divisum, sed potius ex toto detractas fuisse aliquas partes. 2. Ut membra divisionis sint *opposita*, id est, ut unum in altero non contineatur, quia partes totius non includuntur aliæ in aliis; sed a se invicem distinguuntur, et numerum efficiunt. Hinc legitima non est divisio *animalis* in *rationale* et *docile*, quorum posterius in priori continetur. 3. Ut sit *proxima* et *immediata*, sive requiritur inter totum divisum et membra divisionis, nulla alia interponi queat divisio: ordo enim et claritas postulant, ut totum dividatur in partes proximas et primarias, primariæ in secundarias, et sic deinceps; alioquin non obtineretur finis divisionis, qui in eo consistit, ut cognoscantur partes aut species totius divisi, et quali gradu ac ordine ad totum vel accedant, vel ab ipso recedant. Sic male divideretur *vivens* in *plantam*, *hominem* et *belluam*. Prius enim dividendum esset in *plantam* et *animal*, istudque iterum dividi in *hominem* et *belluam*.

DISSERTATIO III.

DE RATIOCINIO.

Ratiocinium spectari potest, vel quatenus in mente latet, et tunc *ratiocinii* nomen retinet; vel quatenus extra mentem profertur, tuncque dicitur *argumentatio*. Agemus 1. de ratiocinio, prout est in mente; 2. de ratiocinio, prout extra mentem sese prodit, sive *de argumentatione*.

CAPUT PRIMUM.

De Ratiocinio, prout est in mente.

Quæres 1. quænam sit ratiocinii natura.

Resp. Ut magis aperta sit ratiocinii natura, exponendum est quomodo a mente perficiatur. Cum rerum ideæ, ad quas attendimus, ita claræ sunt, ut earum convenientia vel discrepantia sola ipsarum perceptione innotescat, tunc eas statim jungimus aut separamus, minimeque necesse est ut ad aliam ideam confugiatur. Hoc modo judicamus de propositionibus adeo manifestis, ut probatione non indigeant, qualia sunt axiomata, ut *totum est majus sua parte*.

Verum duæ ideæ, quas expendimus, aliquando hujusmodi sunt, ut earum convenientiam aut repugnantiam ex solo ipsarum intuitu non percipiamus. Tum mens tertiam adhibet ideam notiorem, atque ex comparatione priorum idearum cum tertia, inferimus eas inter se consentire, si cum tertia conveniant, vel dissentire, si una ex illis conveniat, et altera cum eadem tertia non conveniat. Tertia hæc idea dicitur *argumentum* et *medius terminus*, qua ipsius interventu et comparatione detegitur et probatur duarum idearum relatio, quæ prius non satis plana et aperta erat: res exemplo elucescet.

Mihi proponitur hæc quæstio, utrum scilicet *mens humana sit spiritalis*. Ut mihi innotescat an attributum *spiritalis* menti conveniat, tertiam advoco i,

deam, nempe *substantiæ cogitantis*. Cum ea ideas tum *spiritus*, tum *mentis humanæ* seorsim comparo; et percipio in idea *substantiæ cogitantis* contineri ideam *spiritus*. Unde sic pronuntio: *Omnis substantia cogitans est spiritalis*. Deinde mentem humanam cum substantia cogitante confero, et cum videam mentem esse quid idem cum substantia cogitante, sic affirmo: *Mens humana est substantia cogitans*. Demum ex eo quod ideam *mentis*, et ideam *spiritus*, cum tertia illa idea, nempe *substantiæ cogitantis*, convenire deprehendam, mentem et spiritum simul convenire colligo, unde sic efficio integrum ratiocinium: *Omnis substantia cogitans est spiritalis: atqui mens humana est substantia cogitans; ergo mens humana est spiritalis*.

COROLLARIUM.

Ex dictis sequitur ratiocinium posse definiri actum mentis simplicem, quo unum judicium ex pluribus aliis infertur. Dicimus autem ratiocinium esse actum mentis simplicem, quia unica et indivisa est animi operatio; hæc supponit quidem duo saltem judicia prævia: verum ex illis non componitur; sicut judicium plures ideas requirit, sed ex iis non constat.

Quæres 2. quomodo appellari soleant cognitiones ope ratiocinii comparatæ.

Resp. Appellari solent *discursivæ*. Tunc enim mens dicitur *discurrere*, quando progreditur a magis noto ad minus notum, vel a certis ad incerta: in omni autem ratiocinio rite instituto, mens a magis noto ad minus notum deferatur. Hæc laboriosa cognoscendi ratio, infirmitatem probat mentis humanæ, quæ cum multarum propositionum veritatem aut falsitatem nequeat primo veluti oculorum conjectu perspicere, propositionum cognitarum adminiculo, alterius propositionis ignotæ notitiam assequitur; hinc Deus non discurrit, non ratiocinatur, quia primo intuitu omnia et singula æqualiter pervidet.

Quær. 3. quibus axiomatibus nitatur ratiocinium.

Resp. Duobus nititur, quæ in Prolegomenis jam fuerunt exposita.

Axioma I. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* sive cum duo conveniunt uni et eidem tertio, ea inter se etiam conveniunt.

Axioma II. *Ea, quorum unum convenit cum tertio, et alterum non convenit cum eodem tertio, inter se non consentiunt.*

COROLLARIUM.

Ex iis axiomatibus duo sunt colligenda: 1. si postquam subjectum et attributum alicujus propositionis cum medio termino comparata fuerint, cum eo convenire deprehendantur, certum est ea inter se consentire, ac proinde secum invicem esse jungenda. 2. Si unum conveniat cum medio termino, et alterum cum eodem non conveniat, sequitur ea inter se dissentire, ideoque a se invicem esse removenda.

CAPUT II.

De ratiocinio, prout extra mentem profertur, sive de Argumentatione.

Argumentationis nomen ducitur *ab argumento, seu medio termino,* cujus ope propositio, seu quæstio quæ dubia erat certa fit, ut supra exposuimus. Definiri potest, *oratio ratiocinii interpres, in qua una propositio ex aliis infertur.* Propositio, quæ per argumentationem probanda erat, vocatur *quæstio*; postquam vero probata fuit, dicitur *conclusio,* vel *consequens*: propositiones, ex quibus deducitur conclusio, appellantur modo *præmissæ,* eo quod conclusioni præmittantur; modo *antecedens,* quia conclusionem antecedunt.

Variæ sunt argumentationis species, quæ tamen ad syllogismum revocari possunt. Quamobrem de eo potissimum agunt Logici: dicendum 1. de natura, materia et forma syllogismi; 2. de regulis ad eum pertinentibus; 3. de variis syllogismi speciebus; 4.

de aliis, præter syllogismum, argumentationis speciebus; 5. de sophismatibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura, materia et forma Syllogismi.

Quæres 1. quænam sit natura syllogismi, quæ illius materia et forma.

Resp. 1. Syllogismus est argumentatio tribus constans propositionibus ita dispositis, ut e duabus tertia inferatur; v. gr.

Quidquid cogitat, existit:
Atqui ego cogito;
Ergo existo.

2. Materia syllogismi sunt partes, ex quibus constat; duplex distinguitur, alia *proxima*, nempe tres numero propositiones; alia *remota*, nimirum tres termini: syllogismus quippe ex propositionibus, istæ vero ex terminis constant.

3. Forma syllogismi est ipsius partium, sive propositionum et terminorum dispositio, quæ ad rite concludendum idonea sit.

Quæres 2. quot sint termini in syllogismo, et quæ eorum nomina.

Resp. Sunt numero tres, et vocantur *majus extremum, minus extremum, et medius terminus*. Majus extremum est attributum conclusionis; minus extremum est subjectum conclusionis; medius terminus dicitur ille qui in præmissis cum duobus extremis comparatur, ad detegendam eorum convenientiam aut repugnantiam.

Quæres 3. quænam sint syllogismi propositiones, et quomodo vocari soleant.

Resp. Sic nuncupantur; *major propositio, minor propositio*, et *conclusio*. Nomen suum non habent ex loco quem occupant; sed *major propositio* ea est, quæ majus extremum cum medio termino continet: Primam in syllogismo sedem obtinere solet, et vocatur *major* propter majus extremum, quod in ea reperitur.

Minor propositio illa est, quæ minus extremum cum medio termino complectitur. Secundum in syllogismo locum fere semper occupat. *Minor* dicitur ob minus extremum quod continet.

Conclusio est illa syllogismi propositio, quæ ex præmissis deducitur. In ea majus et minus extremum secum junguntur, aut a se invicem disjunguntur: idcirco utrumque involvit. Semper tertiam in syllogismo sedem habet.

In exemplum sit iste syllogismus:

Omne vitium fugiendum est:
Atqui desidia est vitium;
Ergo desidia fugienda est.

Majus extremum est *fugiendum*; minus extremum est *desidia*; medius terminus est *vitium*. Prima autem syllogismi propositio est *major*, quia continet majus extremum, nempe *fugiendum*, cum medio termino, scilicet *vitium*. Secunda syllogismi propositio est *minor*, quia minus extremum nempe *desidia* cum medio termino, id est, *vitium*, complectitur. Tertia denique propositio est *conclusio*, quia majus extremum, scilicet *fugiendum*, cum minore extremo, nimirum *desidia*, continet.

ARTICULUS II.

De Syllogismorum regulis.

Syllogismorum regulæ a veteribus traditæ sunt, et arte ac sagacitate maxima digestæ; sed alia est generalior a recentioribus inventa, et quæ ceterarum locum tenere potest. De his et illa nunc agendum est.

PARAGRAPHUS I.

De regulis Syllogismorum juxta veteres.

Octo sunt regulæ generales syllogismorum a veteribus traditæ, et quæ Aristoteli tribuuntur; eas exhibent sequentes versiculi.

Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque;

Latius hunc quam præmissæ, conclusio non vult;
Nequaquam medium capiat conclusio oportet;
Aut semel, aut iterum, medium generaliter esto;
Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur;
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem;
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam;
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Unaquæque autem regula jam nobis seorsim demonstranda est.

REGULA I.

Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque.

Id est, triplex tantum esse debet in syllogismo terminus.

Demonstratur: Totum syllogismi artificium in eo positum est, ut ostendatur duorum extremorum inter se convenientia vel discrepantia, ex eo quod cum medio termino conveniant; vel ex eo quod unum ex illis conveniat, et alterum non conveniat cum eodem medio termino: atqui ut ostendatur ea convenientia vel discrepantia, triplex tantum requiritur terminus, nempe duo extrema, quorum detegatur consensio vel dissensio, et unus medius terminus, quocum duo extrema comparentur; ergo, etc.

Hinc peccat sequens syllogismus:

Omnis homo est animal:
Atqui omnis angelus est spiritus;
Ergo omnis angelus est animal.

In eo quippe sunt quatuor termini diversi, nempe *homo, animal, angelus, spiritus*.

REGULA II.

Latius hunc quam præmissæ, conclusio non vult.

Id est, nullus terminus debet in conclusione sumi universalius, quam in præmissis.

Demonstratur: Conclusio ex præmissis deducitur: atqui si quis terminus in conclusione sumeretur u-

niversalius quam in præmissis, ex iis erui non posset conclusio; universale enim non continetur in particulari; ergo, etc.

Idcirco non valet iste syllogismus: *Omne corpus est substantia: atqui nulla mens est corpus; ergo nulla mens est substantia*. In majore enim *substantia* sumitur particulariter, utpote attributum propositionis affirmantis; et universaliter in conclusione, utpote attributum propositionis negantis.

Objicies. Medius terminus potest universaliter accipi in una præmissarum, et particulariter in altera; ergo pariter unum extremum potest in præmissis particulariter adhiberi, universaliter in conclusione.

Resp. Neg. conseq. et parit. Summum enim est discrimen inter medium terminum, et unum extremum: medius quippe terminus adhibetur, veluti mensura communis, ad comparanda duo extrema. Quapropter accuratius erit syllogismus, cum una et eadem erit hæc mensura; jam vero, licet medius terminus particulariter in una e præmissis, et universaliter in altera sumatur, semper erit unicus; siquidem terminus particularis continetur in universali.

Contra vero duo conclusionis extrema debent in præmissis cum medio conferri; ut igitur valeat syllogismus, necesse est ut nihil reperiatur in conclusione, quod non fuerit cum medio termino comparatum in præmissis: atqui si unum extremum esset particulare in præmissis, et universale in conclusione, jam aliquid esset in conclusione, quod in præmissis non fuisset cum medio termino comparatum, nempe illa ulterior extensio termini, qui universalius sumeretur in conclusione, quam in præmissis; ergo unum extremum non potest esse universale in conclusione, et particulare in præmissis, licet medius terminus possit in una e præmissis particulariter accipi, et universaliter in altera.

REGULA III.

Nequaquam medium capiat conclusio oportet.

Id est, medius terminus non debet in conclusione reperiri.

Demonstratur; Conclusio est propositio nihil aliud enuntians, quam convenientiam aut repugnantiam duorum extremorum: atqui hujusmodi propositio medium terminum continere non debet: nam propositio quæ enuntiat duntaxat consensionem aut dissensionem duorum extremorum, non debet complecti rationem propter quam duo extrema inter se conveniant aut repugnent: atqui medius terminus est ratio propter quam duo extrema inter se consentiant aut dissentiant; ergo non debet in conclusione contineri.

Hinc peccat sequens syllogismus: *Petrus est parvus: atqui Petrus est Philosophus; ergo Petrus est parvus Philosophus*. *Petrus* enim, qui est medius terminus in conclusione reperitur.

REGULA IV.

Aut semel, aut iterum, medium generaliter esto.

Id est, medius terminus, saltem semel, universaliter sumi debet in præmissis.

Demonstratur; Juxta primam regulam non debent esse in syllogismo plures, quam tres termini: atqui si medius terminus non sumeretur universaliter in alterutra præmissa, quatuor essent in syllogismo termini, nempe duo extrema, et duplex medius terminus: tunc enim foret duplex, cum duo diversa significaret: atqui si medius terminus bis particulariter acciperetur in præmissis, duo significarent diversa: pars enim extensionis suæ, quæ adhiberetur in una præmissa, non eadem esset ac pars extensionis, quæ sumeretur in altera præmissa; ergo, etc.

Hinc peccat iste syllogismus: *Omnis homo est animal: atqui omne brutum est animal; ergo omne brutum est homo;* vox enim *animal*, quæ est medius terminus, particulariter sumitur in utraque præmissa affirmante, cujus est attributum, et duo significat diversa.

Objic. 1. Sit iste syllogismus: *Aliqua substantia est cogitans: atqui omnis spiritus est substantia; ergo omnis spiritus est cogitans*. Iste syllogismus

est legitimus: atqui tamen medius terminus, nempe *substantia*, bis particulariter sumitur in utraque præmissa; ergo legitimus esse potest syllogismus, quamvis medius terminus bis particulariter sumatur.

Resp. Neg. maj. Si enim objectus syllogismus esset legitimus, conclusio alterius syllogismi eodem modo dispositi, vera esset, positis præmissis veris: atqui tamen fieri potest syllogismus eodem modo dispositus, et cujus conclusio sit falsa, licet veræ sint præmissæ, sit enim iste: *Aliqua substantia plures habet partes: atqui omnis spiritus est substantia; ergo omnis spiritus plures habet partes*. Syllogismus ille huic qui nobis objicitur prorsus est similis: atqui tamen falsa est ejus conclusio, quamvis veræ sint præmissæ; ergo syllogismus in objectione propositus non est legitimus.

Objic. 2. Valet sequens syllogismus: *Illud est divisibile, quod est extensum: atqui omne corpus est extensum; ergo omne corpus est divisibile*: atqui medius terminus, nempe *extensum*, non sumitur universaliter in alterutra præmissa, ergo etc.

Resp. Neg. min. Medius enim terminus, scilicet *extensum*, in majore universaliter sumitur: hujus quippe sensus genuinus est iste: *quod est extensum*, vel potius, *omne extensum est divisibile*.

Instab. Attributum propositionis affirmantis non sumitur universaliter: atqui medius terminus, nempe *extensum*, est attributum majoris quæ est affirmans; ergo medius terminus in ea non sumitur universaliter.

Resp. Neg. min. Medius terminus, sive *extensum*, non est attributum majoris, licet in ea locum attributi occupet: attributum enim est illud, quod affirmatur, vel negatur de alio: atqui *extensum* non affirmatur de *divisibili* in majore; sed potius divisibile asseritur de *extenso*. Is quippe est obvius majoris sensus: *omne extensum est divisibile*; ergo terminus *extensum* non est attributum majoris, sed illius subjectum, et sumitur universaliter.

Objic. 3. Tam potest medius terminus sumi bis particulariter, quam bis singulariter: atqui adhiber potest bis singulariter, ergo et bis particulariter.

Resp. Neg. maj. Medius enim terminus ejusmodi esse debet, ut pro una et eadem re accipiatur: atqui medius terminus, licet bis singulariter sumptus, pro una tamen et eadem re adhibetur; quod enim singulare est, unum sit et determinatum necesse est. Contra vero, si medius terminus bis particulariter sumeretur, jam duo diversa significaret. Sit enim syllogismus sequens: *Aliquis homo est sanctus: sed aliquis homo est impius; ergo aliquis impius est sanctus:* atqui in hoc syllogismo medius terminus scilicet *aliquis homo*, bis particulariter sumptus, duo significat diversa: pars quippe hominum, de qua sanctitas affirmatur, non eadem est ac ea cui tribuitur impietas; ergo licet medius terminus possit bis singulariter adhiberi, non tamen potest bis particulariter usurpari.

REGULA V.

Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.

Id est, ex duabus præmissis negantibus non potest legitime concludi.

Demonstratur: Ubi duæ præmissæ negant, duo extrema separantur a medio termino: atqui tunc nihil concludi potest. Id unum sequitur, nempe duo extrema cum medio termino non convenire: atqui ubi duo cum eodem tertio non conveniunt, inde inferri non potest eorum vel convenientia, vel discrepantia; sic ex eo quod duo baculi non sint æquales eidem tertio baculo, minime sequitur eos æquales esse inter se aut inæquales, ut patet; ergo, etc.

Hinc vitiosus est iste syllogismus: *Homo non est lapis: atqui marmor non est homo; ergo marmor non est lapis.*

Obj. Optime concludit sequens syllogismus: *Qui non colit Deum, non salvus erit: atqui impius non colit Deum; ergo impius non erit salvus:* atqui tamen duæ præmissæ sunt negantes; ergo recte concludere potest syllogismus, quamvis utraque præmissa sit negans.

Resp. Neg. min. Quia minor propositio hujus

syllogismi, quamvis prima fronte videatur negans, revera tamen est affirmans; siquidem ipsius attributum, nempe *non colit Deum*, conjungitur cum subjecto quod est *impius*. Ratio est, quod illa propositio sit hoc modo exponenda, *Impius est ille qui non colit Deum*. In majore enim medius terminus est, *qui non colit Deum:* atqui in minore idem esse debet medius terminus, ac in majore; ergo pariter in minore medius terminus, qui est ejus attributum, debet esse *qui non colit Deum;* ac proinde ista propositio, *impius non colit Deum*, in objecto syllogismo est vere affirmans.

Instab. Illa propositio, *impius non colit Deum*, est negans, aut nulla est propositio negans: atqui admittendæ sunt propositiones vere negantes; ergo hæc propositio, *impius non colit Deum*, est negans.

Resp. Dist. maj. Est negans extra syllogismum, aut nulla est propositio negans, conc. est negans in syllogismo, neg.

Revera hæc propositio, *impius non colit Deum*, extra syllogismum est negans, aut nulla est propositio negans; siquidem attributum removetur a subjecto; sed quamvis intra syllogismum spectata, sit affirmans, non inde sequitur omnem tolli propositionem negantem; aliter enim extra, et aliter intra syllogismum se habet: nam extra syllogismum attributum a subjecto disjungit, sed in syllogismo utrumque jungit. Tunc quippe particula *non* in partem attributi venit, quia sic resolvenda est: *Impius est ille, qui non colit Deum;* alioqui non idem esset medius terminus in majore et in minore.

Instab. Saltem vel hæc propositio, *Impius non colit Deum*, est negans in syllogismo, vel in eo nulla datur propositio negans: atqui datur propositio negans intra syllogismum; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. quamvis enim præfata propositio non sit negans propter rationem modo expositam, possunt tamen esse in syllogismo propositiones negantes, in quibus scilicet attributum a subjecto removeatur, ut in isto syllogismo: *Vir pius servat mandata Dei: atqui Petrus non servat mandata Dei; ergo Petrus non est pius;* hujus syllogismi

minor propositio est vere negans; attributum enim nempe *servat mandata Dei*, a subjecto, nimirum *a Petro*, excluditur.

Instab. Ideo ista propositio, *Impius non colit Deum*, dicitur affirmans, quia in hanc affirmantem resolvitur, *Impius est ille, qui non colit Deum:* atqui nulla est propositio negans in syllogismo, quæ non possit hoc modo resolvi; ergo si præfata propositio non sit negans in syllogismo, nulla in eo cognoscenda est.

Resp. Neg. min. Ideo enim præfata propositio resolvenda est in istam, *Impius est ille, qui non colit Deum*, quia nisi ita intelligeretur, non idem esset medius terminus in minore, aut in majore: atqui hæc ratio non semper locum habet; ergo perperam concluditur nullam esse propositionem negantem in syllogismo, quæ non possit eodem modo resolvi in affirmantem.

Instab. Si hæc propositio, *Impius non colit Deum*, quæ est negans extra syllogismum, in eo fieret affirmans, tunc syllogismus mutaret essentiam propositionis negantis: atqui illud absurdum est; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Si fieret affirmans in syllogismo, remanente eodem attributo, conc. Si fieret affirmans intra syllogismum, mutato illius attributo, neg. maj.

Porro prædicta propositio, ubi spectatur intra syllogismum, non idem retinet attributum, ac ubi extra syllogismum posita est; illius enim attributum in syllogismo est, *Ille qui non colit Deum:* ubi vero extra syllogismum consideratur, ejus attributum est *colens Deum:* hæc enim propositio *Petrus non colit Deum*, extra syllogismum constituta, ad istam revocatur, *Petrus non est colens Deum;* ergo propositio de qua disputatur, non fit affirmans in syllogismo, eodem remanente attributo, ac proinde syllogismus essentiam propositionis negantis non subvertit.

REGULA VI.

Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.

Id est, ex duabus præmissis affirmantibus deduci non potest conclusio negans.

Demonstratur: ubi duæ præmissæ sunt affirmantes, duo extrema ita se habent, ut ambo in præmissis cum medio termino conveniant: atqui ex eo quod duo extrema conveniant cum medio termino, concludi non potest ea inter se dissentire, sive non potest deduci conclusio negans; at contra sequitur duo extrema inter se convenire, seu conclusionem debere esse affirmantem, juxta illud principium: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* ergo, etc.

Hinc peccat iste syllogismus: *Omne bonum est amandum: atqui virtus est bona; ergo virtus non est amanda.*

REGULA VII.

Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Id est, ex duabus præmissis particularibus nihil potest legitime concludi.

Demonstratur. Duæ præmissæ particulares essent vel ambæ negantes, vel ambæ affirmantes, vel altera affirmans et altera negans: atqui in triplici illo casu nihil potest legitime concludi; non quidem 1. Si ambæ essent negantes, ex regula quinta superius demonstrata; 2. non etiam si ambæ essent particulares affirmantes, quia tunc medius terminus bis particulariter sumeretur. Nam in propositionibus quæ sunt particulares affirmantes, utramque et subjectum et attributum accipitur particulariter, proindeque medius terminus, qui in præmissis semper est subjectum vel attributum, bis particulariter sumeretur, quod vetat regula quarta; ergo 2. si duæ præmissæ particulares sunt affirmantes, non potest quidquam recte concludi. 3. Nec si una affirmet, et al-

tera neget: in illa enim hypothesi conclusio foret negans, ex regula octava mox demonstranda; majus igitur extremum universaliter sumeretur in conclusione, utpote attributum propositionis negantis; ergo universaliter etiam accipi deberet in præmissis, ex regula secunda, ac proinde duo esse deberent in præmissis termini universales, nempe majus extremum ex regula secunda, et medius terminus ex regula quarta: atqui non possunt esse duo termini universales in præmissis particularibus, quarum una est affirmans, et altera negans. Namque in præmissis quatuor duntaxat sunt termini, nempe duplex subjectum et duplex attributum: ex illis autem quatuor terminis, tres sumuntur particulariter in præmissis particularibus, quarum una affirmat, et altera negat, nempe duo subjecta propositionum particularium, et attributum propositionis affirmantis; ergo 3. ex duabus præmissis particularibus, quarum una est affirmans, et altera negans, non potest quidquam legitime concludi, aliunde, etc. ergo, etc.

REGULA VIII.

Pejorem (id est, debiliorem) sequitur semper conclusio partem.

Nota. Apud Logicos propositio particularis dicitur universali pejor; pariter propositio negans censetur affirmante debilior. Ideo regulæ octavæ iste est sensus: quoties alterutra præmissa est negans, conclusio debet esse negans; particularis vero, quando una ex præmissis est particularis.

Demonstratur prima pars: Si una præmissarum sit negans, et altera affirmans: duo extrema ita se habent, ut unum cum medio termino conveniat, sicuti declarat præmissa affirmans; alterum vero non conveniat cum medio termino, ut pronuntiat præmissa negans: atqui ubi ex duobus extremis unus convenit cum medio termino, et alterum non convenit, sequitur duo illa extrema inter se dissentire, sive conclusionem esse debere negantem; ergo, etc.

Hinc peccat sequens syllogismus: *Nullum animal*

est planta: atqui omnis homo est animal; ergo omnis homo est planta. Sic enim potius concludi deberet; *ergo nullus homo est planta*.

Demonstratur secunda pars, nimirum conclusionem esse debere particularem, quando una ex præmissis est particularis; tunc enim alia præmissa debet esse universalis, siquidem, ex regula septima, ex duabus præmissis particularibus nihil potest concludi; ergo tunc unum extremum convenit cum medio secundum totam suam extensionem; alterum vero extremum nonnisi secundum aliquam suæ extensionis partem cum eodem medio convenit: atqui ea, quorum unum universim, alterum vero nonnisi partim cum eodem tertio convenit, inter se non possunt omnimode consentire, sed tantum in aliqua parte; ergo tunc conclusio non potest esse universalis, ac proinde particularis esse debet.

Hinc vitiosus est syllogismus iste, cujus conclusio est universalis affirmans, quamvis una ex præmissis sit particularis: *Omne corpus est extensum: atqui aliqua substantia est corpus, ergo omnis substantia est extensa*. Sic enim concludi duntaxat deberet; *ergo aliqua substantia est extensa*; siquidem minus extremum, nempe *substantia*, nonnisi secundum aliquam sui partem convenit cum medio, qui est *corpus*.

PARAGRAPHUS II.

De regula Syllogismorum juxta recentiores.

Unicam regulam generalissimam admittunt recentiores, quæ instar omnium haberi potest, utpote quæ ceteras omnes complectatur. Ita se habet: *Una præmissarum conclusionem contineat, et altera contentam declaret*. In syllogismis negantibus præmissa negans semper est continens, præmissa autem affirmans semper est declarans: in syllogismis vero affirmantibus, utraque præmissa indiscriminatim potest spectari, vel ut continens vel ut declarans.

Hæc regula sequenti syllogismo magis elucescet:

Omnis virtus est laudabilis: atqui temperantia est virtus; ergo temperantia est laudabilis. Hic syllogismus optime concludit, porro majus extremum, sive attributum conclusionis, nempe *laudabilis,* continetur in majore. Minus extremum, sive subjectum conclusionis, in eadem majore etiam includitur, nempe *temperantia*. Nam minor declarat *temperantiam* et *virtutem* esse quid unum et idem.

PROPOSITIO II.

Optima est præfata recentiorum regula.

Prob. Totum syllogismi artificium in eo situm est, ut una propositio ex aliis inferatur, atqui non potest quidquam ex alio deduci, nisi in eo contineatur, et contineri cognoscatur; necesse est ergo ut conclusio includatur in præmissis, et in ipsis includi cognoscatur; debet proinde una præmissarum conclusionem continere, et altera contentam declarare: atqui hæc duo tradit præfata regula; ergo, etc. Præterea hæc regula optima est, cujus ope vitium cujuslibet syllogismi detegere possumus: atqui ope regulæ, de qua agitur, vitium cujuslibet, etc. Sint in exemplum duo syllogismi sequentes, quorum alter est affirmans, alter vero negans: *Aliquis homo est albus: atqui aliquis Æthiops est homo; ergo aliquis Æthiops est albus*: atqui per solam recentiorum regulam detegitur præfati syllogismi vitium: neutra enim propositio conclusionem continet; quia nec *Æthiops* in majore, nec *albus* in minore includitur.

Sit alter ille Syllogismus negans: *Parentes sunt honorandi: atqui reges non sunt parentes; ergo reges non sunt honorandi:* atqui solius prædictæ regulæ subsidio deprehenditur vitiosum esse illum syllogismum: neutra quippe præmissa conclusionem continet, non quidem *major,* quæ cum sit affirmans, non includit conclusionem quæ est negans; non etiam *minor,* nam attributum conclusionis non continetur in attributo minoris: attributum enim conclusionis est *honorandi,* sive potius *omnes honorandi;*

attributum quippe conclusionis utpote negantis, sumitur universaliter: atqui iste terminus, *omnes honorandi*, non continetur in attributo minoris, quod est *parentes*, ut major declarat, quæ terminum *honorandi* ad solos parentes restringit.

Alias plurimas speciales regulas proponunt Logici, dum varias syllogismorum figuras, variosque modos sollicite prosequuntur et conglomerant, sed parum utiliter. 1. Quia peculiares illæ regulæ in generalibus, quas exposuimus, continentur; 2. quia difficile memoriæ mandantur, et facile ex ea elabuntur; quapropter ab iis referendis abstinemus.

ARTICLLUS III.

De variis Syllogismorum speciebus.

Quæres 1. quænam præcipuæ sunt syllogismorum species.

Resp. Syllogismus potissimum dividitur in *simplicem, complexum*, et *compositum*, 1. *Simplex* ille est, de quo huc usque disputatum fuit. 2. *Complexus* dicitur ille, cujus conclusio est propositio complexa; qualis est iste: *Lex divina jubet honorare Reges: atqui Ludovicus XVI. est Rex; ergo lex divina jubet (sive est jubens) honorare Ludovicum XVI.* Si detegere velis an legitimus sit syllogismus complexus, eum in simplicem convertas, qui juxta leges syllogismorum generales expendendus erit; quibus si deprehendatur consentaneus, inde concludes syllogismum simplicem, ac proinde complexum, pariter esse legitimum. 3. Syllogismus *compositus* est ille, cujus major propositio est composita.

Quæres 2. quotuplex sit syllogismus compositus.

Resp. Triplex distinguitur, nempe *conditionalis, disjunctivus* et *copulativus*.

Quæres 3. quisnam syllogismus sit *conditionalis*.

Resp. Ille est, cujus major propositio est conditionalis, sive duas complectitur partes per particulam *si* conjunctas, quarum una, quæ conditionem includit, vocatur *antecedens*, et altera dicitur *conse-*

quens; talis iste est: *Si Deus est justus, punit peccatores: atqui Deus est justus; ergo punit peccatores.*

Hujus syllogismi duplex est regula. Prima est, ut quando antecedens majoris affirmatur in minore, ejusdem consequens in conclusione affirmetur, sicut in exemplo mox prolato; hinc nata sunt ista axiomata, *Posito antecedente, ponitur consequens ...... Verum prius, ergo et posterius.*

Secunda regula est, ut quando tollitur, seu negatur consequens in minore, tollatur antecedens in conclusione. Ex. gr. *Si divitiæ et honores requiri debeant, non credendum est Evangelio: atqui credendum est Evangelio; ergo divitiæ et honores requiri non debent:* hinc originem duxerunt ista axiomata, *sublata consequenti, tollitur antecedens ..... Falsum consequens, ergo et antecedens.*

Quær. 4. quandonam syllogismus sit *disjunctivus.*

Resp. Quando major illius propositio disjunctiva est. Hujus syllogismi triplex est regula. Prima, ut quando una pars in minore affirmatur, altera negetur in conclusione: v. gr. *Vel coercendæ sunt cupiditates, vel iis serviendum est: atqui coerceri cupiditates jubet recta ratio; ergo non iis serviendum est.*

Secunda regula est, ut quando pars una majoris tollitur in minore, altera in conclusione affirmetur: v. gr. *Necesse est ut omnes mali puniantur in hac vita, vel in altera, atqui plures sunt mali, qui non puniuntur in hac vita; ergo necesse est ut puniantur in altera.*

Tertia regula est, ut accurata sit divisio, nihilque medii inter ejus membra admittat. Hinc non valet sequens syllogismus: *Vel obediendum est Principibus aliquid contra legem Dei imperantibus, vel adversus eos rebellandum: atqui non obediendum est Principibus aliquid contra legem Dei imperantibus, ergo adversus eos rebellandum est.* Vitiosus est ille syllogismus, quia inter propositionis disjunctivæ membra datur medium, nempe illud: *Omnia patienter ferenda sunt, potius quam parendum principibus,*

eum aliquid injusti præcipiunt, nec adversus eos rebellandum est.

Notandum est omnem propositionem disjunctivam conditionali æquivalere, et in eam resolvi posse: ex. gr. si dixerim: *Vel actio Bruti Cesarem interficientis, fuit actus virtutis, vel crimen: atqui non fuit actus virtutis, ergo fuit crimen;* idem est ac si dicerem: *Actio Bruti Cæsarem trucidantis fuit crimen, si non fuerit actus virtutis; atqui non fuit actus virtutis; ergo crimen fuit.*

Syllogismum disjunctivum ad conditionalem sic reducendo, facile deprehendetur nonnullorum sophismatum absurditas, quam omnes sentiunt, quamvis in quo peccent aliquando vix assignari possit. Tale est istud: *Vel doctus es, vel non doctus: atqui non es doctus, ergo doctus es:* Syllogismum hunc disjunctivum in conditionalem resolvas hoc modo: *Tu es doctus, si non es doctus, etc.* et statim sese prodit præfati sophismatis insulsitas.

Quæres 5. quis sit syllogismus *copulativus.*

Resp. Ille est, si cujus major propositio est copulativa: v. g. *Nemo potest servire Deo et mammonæ: atqui avarus servit mammonæ; ergo non servit Deo:* hujus syllogismi regula est, ut quando pars una majoris in minore affirmatur, altera in conclusione negetur, ut probat exemplum modo prolatum.

ARTICULUS IV.

De aliis, præter Syllogismum, argumentationis speciebus.

Sex præter syllogismum, recensentur argumentationis species, nimirum *prosyllogismus, enthymema, epicherema, sorites, dilemma* et *inductio.*

Quæres 1. quid sit *prosyllogismus.*

Resp. Argumentatio est, quæ constat quinque propositionibus, quæ duos complectuntur syllogismos ita dispositos, ut prioris conclusio sit una ex præmissis posterioris. Ex. gr. *Quod non habet partes, perire nequit dissolutione partium: atqui substantia spiri-*

taalis non habet partes ; ergo substantia spiritualis perire nequit dissolutione partium. Porro mens humana est substantia spiritualis ; ergo mens humana perire non potest dissolutione partium. Ideo plurimum arridet hæc argumentationis species, quod brevior sit duobus syllogismis quos complectitur, et nullam tamen propositionem subintelligendam retineat.

Quæres 2. quid sit *epicherema*.

Resp. Argumentatio est, cujus alterutri, vel utrique propositioni sua adjungitur probatio, priusquam deducatur conclusio: v. gr. *Qui multis curis angitur, non est beatus; ad beatitudinem enim requiritur animæ tranquillitas: atqui homo qui cupiditatibus indulget, multis curis angitur, sive propter conscientiæ stimulos, sive quia iis, quæ concupiscit, non fruitur; ergo qui cupiditatibus indulget, non est beatus.* Illa argumentatione plurimum delectatur animus, quia in eo nihil dubitationis relinquitur.

Quæres 3. quid sit *sorites*.

Resp. *Sorites* apud Græcos, *gradatio* vero apud Latinos, argumentatio est, quæ veluti per gradus sensim progreditur. Ex pluribus coalescit propositionibus ita colligatis, ut attributum primæ fiat subjectum secundæ, attributum secundæ, subjectum tertiæ, et sic deinceps, donec primæ propositionis subjectum cum attributo ultimæ jungatur: v. gr. *Avarus multa desiderat; qui multa desiderat, multis indiget; qui multis indiget est miser; ergo avarus est miser.* Adhibetur *sorites,* quando una idea non sufficit ad demonstrandam duorum conclusionis extremorum relationem. Vitiosum autem erit, nisi propositiones singulæ ita sint concatenatæ, ut ex earum nexu necessario sequatur conclusio.

Quæres 4. quod sit *dilemma*.

Resp. Argumentatio composita, in qua post divisionem totius in suas partes, id de toto concluditur, quod de qualibet parte pronuntiatum fuerat. Sic v. gr. probari potest, nullam impiis sperandam esse felicitatem: *Vel impii moriendo toti pereunt, vel eorum animæ sunt immortales: si toti pereunt, nulla ipsis esse potest spes felicitatis; si immorta-*

les sunt eorum animæ, nulla quoque spes illis relinquitur, sed terribilis quædam expectatio judicii; ergo nulla est impiis speranda felicitas. Hæc argumentatio vulgo nuncupatur argumentum *cornutum*, sive *utrinque feriens*, quia pars illius quælibet adversarium revincit.

Disjunctio quæ continetur in majore, accurata sit necesse est, ita ut totum in omnes suas partes distribuatur; alioqui tota rueret argumentatio.

Contra regulam hanc peccat dilemma, quo veteres quidam utebantur, ut adversus mortis formidinem sese obfirmarent: *Vel mens nostra*, inquiebant, *perit cum corpore, et tunc deficiente sensu, nihil mali pertimescendum est; vel corpori futura est superstes, et tunc felicior erit, quam cum in corporis carcere detineretur; ergo ex morte nihil est metuendum*. Quasi vero inter duos status in hoc dilemmate assignatos, tertius non possit concipi, in quo scilicet anima corpori superstes, variis crucietur suppliciis, unde justa sit mortem reformidandi causa.

Quæres 5. quid sit *inductio*.

Resp. Argumentatio est, in qua ex singularibus enumeratis aliquid universale colligitur. Si v. gr. probare velim utilem esse universalem Philosophiam, illud inductione efficiam: *Logica est utilis; Metaphysica est utilis; Physica est utilis; Mathematica est utilis; Moralis disciplina est utilis, ergo universa Philosophia est utilis*. Ut valeat inductio, fieri debet accurata partium enumeratio: hinc perperam argumentaretur, qui in hunc modum concluderet: *Galli sunt albi, Germani sunt albi, Hispani sunt albi; Angli sunt albi; ergo omnes homines sunt albi*.

ARTICULUS V.

De sophismatibus.

Sophisma, seu *paralogismus*, est argumentum, quod veri speciem præ se ferens, reipsa falsum est. Ex sophismatibus alia sunt, quæ ad intelle-

ctum, et alia, quæ ad voluntatem magis pertinere videntur.

PARAGRAPHUS I.

De Sophismatibus, quæ ad intellectum pertinent.

Plurima sunt hujusmodi sophismata; sed octo præsertim numerantur. 1. Sophismatis seu paralogismi species est *ignoratio,* at ajunt, *Elenchi,* sive argumenti de quo tractatur, quando nempe aliud probatur, quam quod fuit in quæstione positum; quod vitium sane est frequentissimum in disputationibus sive publicis, sive privatis; idque inde potissimum oritur, quod res ipsa, de qua agitur, non satis perspecta sit, neque uno modo accipiatur.

2. Est *petitio principii,* cum scilicet id ipsum, quod in quæstionem venit, tamquam certum assumitur: ut si probare velis solem quiescere, ex eo quod moveatur terra. Id enim est, de quo potissimum disputatur, an terra moveatur. Ad petitionem principii revocatur aliud sophismatis genus quod dictum fuit *circulus vitiosus.* In eo consistit quod probetur aliqua propositio per aliam, quam ipsa probat; ut si quis in eadem quæstione, et contra eosdem adversarios disputans, probare existere corpora ex eo quod existat Deus; et deinde existere Deum ex eo quod existant corpora.

3. Est *non causa pro causa;* cum scilicet causæ loco asserimus, quod nullo modo causæ rationem habet. In hujusmodi sophisma duplici præsertim modo impingunt homines. 1. Quando, ne videantur ignari, vanas et fictitias assignant effectibus causas: sic veteres philosophi, ut suam quodam velo ignorantiam obtegerent, aquam in antlias (*dans les pompes*), hydrargyrum (*le vif argent*) in tubos ideo ascendere dictabant, quod a vacuo natura prorsus abhorreat. Quæ voces, si philosophice expendantur, nihil significant.

2. Quando pro causa datur, quod effectum duntaxat præcedit. Sic enim ratiocinari solent plurimi:

post hoc ; ergo propter hoc. Ex. gr. quia magna interdum contigerunt infortunia, his circiter temporibus, quibus cometæ apparuerunt, vel aliud cæleste phænomenum, multi statuerunt cometas esse causas subsequentium morborum, sterilitatis, aliarumve calamitatum.

4. Sophismatis species in eo consistit, quod ex uno et altero, aliquid universale colligatur. Illud sophisma dicitur *enumeratio imperfecta*. Sic ex eo quod nonnulla sint nobis ignota, concludunt Academici, nihil a nobis certo cognosci. In quotidiano vitæ usu innumeri occurrunt hujusmodi paralogismi. Si quis semel aut iterum imprudenter sese gesserit, inde universim concluditur, ipsum esse imprudentem. Si quidam homines sub ementita pietatis larva, quodam quasi velo, turpia tegant vitia, inde generatim inferunt libidinosi, pietatem meram esse hypocrisim.

5. Dicitur *fallacia accidentis*, cum scilicet rei cuipiam simpliciter et absolute tribuitur, quod ei *per accidens* tantum convenit. Sic multi artem aliquam aut disciplinam criminantur, quia in pravum usum detorquetur a nonnullis. Maxime commune est illud sophismatis genus, et utinam adversus res etiam sanctissimas non adhiberetur! sic recentiores hæretici, tanquam Satanæ figmenta, rejiciendas esse colligunt et sanctorum invocationem, et sacrarum Reliquiarum venerationem, et preces pro defunctis, quia in ista omnia nonnulli irrepserunt abusus.

6. Appellatur *fallacia compositionis*, et *fallacia divisionis*; quando nimirum fit transitus *a sensu diviso ad compositum*, aut vice versa. Talis esset fallacia illius: qui ex Christi verbis, *cæci vident, claudi ambulant*, concluderent cæcos, dum cæci sunt, videre, et claudos, dum claudi sunt, ambulare. Hæc enim *in sensu composito*, sive conjunctim sumpta, non vera sunt; sed intelligi debent *in sensu diviso*, eo nempe sensu, quod videant, qui antea cæci erant, et ambulent, qui prius erat claudi.

7. Vocatur *transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, cum scilicet ex eo quod sub certo tantum respectu verum est, colligitur conclusio ge-

neralis et absoluta. Quo sophismatis genere laboraret istud ratiocinium: *Sunt fabulæ apud eos, qui Romanam historiam scripserunt; ergo nulla Romanis historicis fides debetur*. Vere quidem dicitur in historiam Romanam mendacia irrepsisse, qualia sunt quæ memorantur de patre Romuli, et ejusdem in cælum raptu, de Egeria uxore Numæ, etc. at falsum est reliquam omnem historiam esse fictam.

8. Denique sophismatis species nuncupatur *transitus a genere ad genus*. Tunc habet locum, cum ad probandam rem alicujus generis, assumitur argumentum alterius generis; v. gr. si ad rem probandam, quæ naturalis est ordinis, adhiberetur aliquod mysterium, quod supernaturalis est ordinis.

PARAGRAPHUS II.

De sophismatibus voluntatis.

Sunt et alia sophismata, quæ suam in voluntatis affectibus quasi sedem habent: sicut enim ex cupiditatibus falsa judicia, ita et falsa ratiocinia frequentissime derivantur. Quæ veritas innumeris comprobatur exemplis, ex quibus pauca selegimus.

1. Enim ambitio, quæ nihil præclarius esse perperam judicat, quam aliis dominari, sic ratiocinatur: *Nihil pulchrius est, quam quod supra ceteros homines nos extollit: atqui dignitates supra ceteros homines nos extollunt; ergo nihil est iis pulchrius;* eoque falso ratiocinio captus, omnia jura subvertet ambitiosus, ut viam ad dignitates sibi sternat.

2. Avaritia, quæ felicitatem in divitiis constituit, sic argumentatur: *Illud omnibus nostris studiis dignissimum est, ex quo pendet vera felicitas: atqui ex opibus pendet vera felicitas; ergo nostris omnibus studiis sunt dignissimæ;* quo sophismate delusus, divitias, tanquam numen aliquod, colit avarus.

3. Voluptas contra, quæ felicitatem in sensuum delectationibus sitam esse judicat, istud argumentum instituit: *quod beatos nos efficit, ceteris omnibus hujus vitæ bonis anteferendum est: atqui sensuum*

delectiones beatos nos efficiunt ; ergo ceteris omnibus hujus vitæ bonis sunt anteferendæ ; eoque pravo et turpi ratiocinio deceptus, suum patrimonium dilapidat voluptuosus, ut suis indulgeat libidinibus.

4. Cæcus amor, qui in objecto suo nihil vitii deprehendit, sic argumentatur. *Quod optimum est, amorem nostrum sibi merito vindicat: atqui optimum est, quod mihi placet ; siquidem omni vitio caret ; ergo totum amorem meum sibi merito vindicat ;* ex eoque fallaci argumento fit, ut ametur quod placet, non quod revera diligendum est,

5. Odium contra, quod in objecto suo nihil nisi vitia pervidet, sic disserit : *Objectum vitiis scatens, odio dignum est : atqui objectum quod mihi displicet, vitiis scatet ; ergo dignum est odio ;* ex eoque perfido sophismate non raro contingit, ut odia infensissima in animo foveantur.

Adeo verum est nobis fucum facere pravo voluntatis affectu, et falsis ratiocinii coloribus nos deludere ! sicut ergo recte judicare, sic et recte ratiocinari non possumus, nisi a malefidis nostris cupiditatibus sapienter caveamus.

DISSERTATIO IV.

DE METHODO.

Quæres 1. quid sit methodus generatim spectata, et quam utilis.

Resp. Definitur a Philosophis, actus mentis cogitationes suas certo disponentis ordine, qui ad veritatem sive inveniendam, sive aliis demonstrandam sit accommodatus. Cum inordinata et confusa cogitationum nostrarum series, ad scientiam comparandam nullius sit auxilii, magni facienda est illa mentis functio, quæ omnia ordine suo digerit : hujus multiplex est utilitas: methodo enim plurimum adjuvatur ingenii vis, ad res dilucide percipiendas. Ea quippe est mentis humanæ infirmitas, ut rerum naturam acccurate cognoscere nequeat, nisi singula, quæ unicuique rei propria sunt, singillatim et cum ordine

expendat. Præterea ad res memoriter retinendas, et facilius recolendas, maxime prodest methodus: cum enim plura certo quodam ordine addiscimus, experientia constat unius recordatione excitari memoriam alterius.

Quæres 2. quotuplex sit methodus.

Resp. Duplex, *analytica* nimirum, et *synthetica*. Methodus *analytica*, sive *resolutionis*, ab examine cujusdam rei peculiaris ad notiones communes, sive ad principia generaliora progreditur. Methodus *synthetica*, sive *compositionis*, oppositam insistens viam, a principiis generalioribus ad notiones speciales descendit. Unde sequitur duas illas methodos inter se differre, non secus ac duas instituendæ genealogiæ rationes, vel a posteris incipiendo, ut inde assurgatur ad stipitem communem, v. g. a filiis ad patrem, a patre ad avum, ab avo ad atavum, etc. vel initium ducendo a stipite aliquo communi, ut inde ad posteros descendatur, v. gr. a patre ad filios, a filiis ad nepotes, a nepotibus ad pronepotes. Prior describendæ genealogiæ ratio, methodum *analyticam*, posterior vero methodum *syntheticam* exhibet.

Quæres 3. quis sit utriusque methodi usus.

Resp. Methodus *analytica* plerumque adhibetur ad detegendam veritatem ignotam, et obtinendam quæstionum solutionem; methodus autem *synthetica* usurpari solet, ut veritas cognita aliis demonstretur. Utraque tamen inservire potest ad veritatem tum inveniendam, tum demonstrandam. Ut vero quid inter utramque sit discriminis facilius percipiatur, exemplum subjiciemus, quod utrique accommodabitur.

Immortalitas animæ, v. gr. potest duplici ratione demonstrari. 1. Quidem per methodum *analyticam*, hoc scilicet modo: mentis humanæ nomine intelligitur principium in nobis cogitans; porro si ad naturam cogitationis attendamus, manifestum est eam non esse dividuam. Quis enim concipiat, v. gr. sensum doloris, affirmationem vel negationem in varias partes distrahi posse? Unde concludendum est principium in nobis cogitans, non esse quoddam

ex multis partibus concretum, ac proinde partium dissolutione non posse interire; ergo mens humana est immortalis.

Eadem veritas per methodum *syntheticam* sic potest demonstrari: quod partium dissolutione interire non potest, immortale est; porro mens humana partium dissolutione interire nequit. Mens enim humana non habet partes, siquidem est subjectum cogitationis, quæ est omnino simplex, et quaslibet partes excludit, ideoque mens humana est immortalis. Ex illo exemplo compertum est, methodum syntheticam ab iis notionibus incipere, per quas analytica desinit.

Quæres 4. quomodo in veritate inquirenda et quæstione solvenda procedere soleat methodus *analytica*.

Resp. Sic progreditur: 1. accurate exponitur status quæstionis, et præsertim expenduntur illius conditiones, ne vel ponantur nonnullæ quæ ad rem non pertineant, vel necessariæ quædam aut utiles omittantur, ex quibus plurimum pendeat quæstionis solutio. 2. Difficultas in tot partes distribuitur, quot seorsim distingui expedit ad illam omnimode solvendam. 3. Divisione peracta, in singularum partium investigatione aliquis ordo instituitur, ita ut ab iis quæ sunt magis cognitu faciliores, ad eas quæ sunt magis impeditæ fiat progressus. 4. Si principium certum inveniatur, ex quo pendeat quæstionis solutio, in eo mens sistit, et facta quæstionis cum illo principio comparatione, solvitur quæstio. Si vero hæc inquisitio in absurdum aliquid desinat, quod sit cum proposita quæstione necessario connexum, tunc ipsam esse absurdam merito concluditur.

Quæres 5. quomodo in demonstranda veritate cognita soleat adhiberi methodus synthetica.

Resp. Sic proceditur: 1. diligenter exponitur quæstionis status, id est, quo sensu intelligenda sit propositio, quæ demonstranda suscipitur. 2. Vocabula omnia, quantum opus est, accuratis definitionibus explicantur, ut in disputationis decursu, nullus esse possit ambiguitati locus. 3. Præmittuntur axio-

mata, sive propositiones ita claræ et evidentes, ut earum veritas in dubium revocari non possit. 4. Propositiones quæ probatione indigent probandæ sunt, vel per axiomata, vel per alias propositiones quæ jam fuerint demonstratæ, aut ex utraque parte concedantur; tandem demonstratur propositio, cujus veritas erat exponenda. *Demonstrationis* autem nomine intelligitur probatio rei alicujus, ex principiis evidentibus clare deducta.

Si quis autem perfectum methodi syntheticæ exemplar habere velit, adeat Geometrarum scripta: nullibi enim res majori tractantur ordine, nec accuratiori demonstratione muniuntur. Vel unum exemplum a Geometris petitum, qua ratione utendum sit methodo synthetica clarius et efficacius edocebit, quam omnia Logicorum præcepta. Nunc agendum superest de methodo Carthesiana, quæ in orbem philosophicum tantam, tamque utilem rerum conversionem procreavit.

Quæres 6. qualis sit methodus Carthesiana.

Resp. Carthesius, eximius ille Philosophiæ recentioris parens, consideravit omnes pene cognitiones, etiam eas, quibus homines constantissime adhærent, sine ullo examine ab iis acceptas esse, et plerasque solis sensuum impressionibus fundatas, a quibus tamen nos quotidie decipi constant. Id secum reputans egregius ille Philosophus, ut mentem suam a præjudicatis et incertis opinionibus eximeret, statuit omnes suas cognitiones severiori examine excutere. Neque tamen ad exequendum illud consilium opus habuit, singula quæ cognosci possunt, sigillatim animo lustrare; sed fundamenta duntaxat, quibus nituntur omnes nostræ cognitiones, diligenter scrutatus est, ut compertum haberet, an incerta sint omnia et instabilia, an sint quædam firma et immota, quibus cognitionum suarum quasi ædificium superstruere posset vir Philosophus. In illo autem examine generali, quod vocatur *dubium methodicum*, hanc sibi legem imposuit, ut nihil admitteret, tanquam legitimum cognitionis philosophicæ principium, nisi quod ejusmodi foret, ut assensum ei denegare non posset animus, quin secum pugnaret,

sibique reluctaretur, hac scilicet ratione vir celeberrimus, quasi Fabius alter, cunctando rem philosophicam restituit. Eam quippe suis in meditationibus cognitionum philosophicarum seriem et veluti genealogiam texuit, quæ tum ad evellenda præjudicia, tum ad detegendos diversos principiorum fontes, maxime est accommodata.

Methodi Carthesianæ brevem tabellam sic delineat ipsius Carthesii laudator, in oratione quæ ab Academia Parisiensi eloquentiæ præmio donata est anno 1767. *Descartes établit pour principe, de ne regarder comme vrai, que ce qui est évident, c' est à dire, ce qui est clairement contenu dans l' idée de l' objet qu' il contemple: tel est le fameux* doute methodique *de Descartes. Tel est le premier pas qu' il fait pour en sortir, et la première règle qu' il établit. C' est cette règle qui a fait la révolution de l' esprit humain: pour diriger l' entendement il joint l' analyse au doute. Décomposer les questions, et les diviser en plusieurs branches, avancer par degrès des objets les plus simples aux plus composés, et des plus connus aux plus cachés, combler l' intervalle qui est entre les idées éloignées, et les remplir par toutes les idées intermédiaires; mettre dans ces idées un tel enchaînement, que toutes se déduisent aisement les unes des autres; et que les énoncer, ce soit, pour ainsi dire, les démontrer; voilà les autres régles qu' il a établies, et dont il a donné l' exemple.*

Quæres 7. quid sit discriminis inter dubitationem scepticorum, et dubium methodicum.

Resp. Quæstionem hanc solvet Carthesius ipse, (*Dissert. de methodo, num.* 3.) *Scepticos,* inquit, *non imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, et præter incertitudinem ipsam nihil quærunt. Nam contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem, et quemadmodum fieri solet, cum in arenoso solo ædificatur, tam alte fodere cupiebam, ut tandem ad saxum vel ad argillam pervenirem.* Unde concludere licet eum nunquam vere dubitasse de propositionibus aut evidentibus, aut evidenter demonstratis; sed opiniones speculativas, educatione, exem-

plo vel consuetudine susceptas, eo tantum consilio in dubium revocasse, ut omni præjudicio solutus, ad evidentiam perveniret, et splendida in illius luce tutus conquiesceret.

Quanto fidei obsequio et quanta reverentia, veritatibus a Deo revelatis semper adhæserit Carthesius, sic notat ipsius laudator (*Ibid. not.* 18.) *Il n' est pas nécessaire d' avertir que le doute philosophique de Descartes ne s' étendit jamais aux vérités révélées. On sait qu' il les respecta toute sa vie, comme il le devait. Il les regardait comme d' un ordre trop supérieur à la raison, pour vouloir les y assujettir. On voit partout dans ses ouvrages et dans ses lettres, qu' il distinguait le Philosophe du Chrétien.*

Quæres 8. utrum methodus Carthesiana, sive dubium generale methodicum admitti debeat. Quæstionem hanc solvet sequens

PROPOSITIO.

Admittenda est methodus Carthesiana.

Probatur: Illa methodus admittenda est, quæ maximi est auxilii tum ad evellenda præjudicia, tum ad comparandas cognitiones philosophicas: atqui ita se habet methodus Carthesiana. 1. Quidem plurimum valet ad evellenda præjudicia: ad ea quippe extirpanda necesse est ut judicia vera a falsis, certa ab incertis secernantur: atqui ad illud assequendum perutilis est methodus Carthesiana. In eo quippe sita est, ut circa propositiones cohibeatur assensus, nisi per se notæ sint, vel saltem cum propositionibus per se notis evidenter colligatæ: atqui ut judicia vera a falsis, certa ab incertis discriminentur, nihil efficacius esse potest, quam assensum circa propositiones cohibere, nisi vel sint per se notæ, vel cum propositionibus per se notis evidenter devinctæ; ergo, 1. etc.

2. Præfata methodus plurimum inservivit ad comparandas cognitiones philosophicas. Cognitiones enim vere philosophicæ eæ sunt, quæ ex primis de-

ducuntur principiis: atqui methodus Carthesiana maximæ est utilitatis ad cognitiones ex primis principiis deducendas; id enim fieri non potest, quin detegantur prima principia, quæ scilicet ita nota sunt, ut nulla probatione indigeant: atqui ad ea detegenda maxime idonea est methodus Carthesiana: nam quisquis eam sequitur, assensum cohibet circa propositiones, quandiu indigent ulteriori probatione. Cum autem series probationum non sit infinita, ad eam pervenietur quæ sit in suo genere prima, et proinde assequetur propositiones quæ ulteriori probatione non indigeant: atqui hujusmodi propositiones sunt prima principia, quorum scilicet ea est proprietas, ut probari ulterius nec possint, nec opus habeant; ergo 2. maximi momenti est methodus Carthesiana, ad comparandas cognitiones vere philosophicas; aliunde, etc. ergo, etc.

Obj. Dubium generale methodicum, sive methodus Carthesiana, institui non potest, quin omnia et singula judicia perlustrentur, et sigillatim expendantur: atqui illud impossibile est; ergo etc.

Resp. Neg. maj. dubium enim methodicum quod admittimus, non eo sensu generale dicendum est, quod omnia et singula judicia, alia post alia sigillatim excutiantur; sed eo sensu duntaxat, quod circa ea omnia judicia assensum retineamus, quæ ulteriori probatione indigebunt, nec per se nota erunt, vel cum aliis judiciis per se notis evidenter connexa. Ex. gr. quia non semel observavimus, nos aliquando sensuum impressionibus decipi, ideo possumus et debemus assensum suspendere circa judicia quæ sensibus nituntur, donec demonstratum fuerit quandonam ipsis fides adhibenda sit, quandonam deneganda.

Instab. Fieri non potest ut de omnibus dubitemus, v. g. de isto principio, *totum est majus sua parte;* ergo impossibilis est methodus Carthesiana.

Resp. Neg. conseq. Dubitatio enim Carthesiana non est dubitatio proprie dicta, per quam mens gravibus hinc et inde momentis librata, anceps circa singula fluctuet. Hoc erat dubium Academicorum, quibus familiare erat istud effatum: *Omni rationi*

ratio æqualis ponderis adversatur. Apud Carthesium agitur de *dubio methodico;* porro dubitare *methodice,* idem est, ac expendere, examinare; quod certe non est impossibile. Denique id unum postulat methodus Carthesiana, ut nulli assentiamur propositioni, quæ non sit per se nota, aut cum aliis per se notis clare colligata.

INDEX

LOGICÆ

PARS I.

PHILOSOPHIÆ SIVE LOGICA.

DISSERTATIO I.

DE PERCEPTIONE SIVE IDEA.

DISSERTATIO III.

DE RATIOCINIO.

DISSERTATIO IV.

DE METHODO.

Finis Tomi Primi